## NÚMERO 9.

### *Permiso del General de los Franciscanos á Raimundo Lulio, para enseñar su Arte por todos los conventos de su Orden año* 1290 (1).

In Christo sibi charissimis Ministris provinciæ Romanæ, Apulicæ etc. Frater Raimundus ordinis fratrum Minorum Generalis Minister etc. servus, salutem in Domino et pacem sempiternam.

Cum ex debito charitatis teneamur omnibus, illis potissime noscimur obligari quibus nos vera pungit devotio et adstringit certis benefitiorum indiciis comprobata: Cum igitur Dominus Raimundus Lull lector præsentis, amicus ordinis et devotus ab antiquo in relevandis fratruum nostrorum inopiis gratiosus et in subsidiis sollicitus extiterit et attentus, non inmerito ipsum vobis in Domino recomendo, discretionem vestram rogans, quod cum ad vestra declinaverit loca benigne recipiatis eumdem, et quem admodum secundum Deum poteritis, et decet nostri ordinis honestatem, in agendis sic ei assistatis solicite, quod ex devoto devotior fiat, et apud cæteros vestra reluceat solertia commendanda. Cæterum cum dictus D. Raimundus quandam *Artem* doceat per quam convincere nititur infideles, volo quod vos ministri, si aliqui fratres provintiarum vestrarum audire dictum Artem fuerint consolati dictis ipsis fratribus licentiam, et dicto Dno. Raimundo de conventu idoneo opportunitatem in quo possit fratribus ostendere Artem illam concedatis. Valete in Domino et orate pro me. Datt in Monte Pessulano VII Kal. Novemb. anno Dni. MCCXC.

## NÚMERO 10.

### *Bula de Bonifacio VIII remitiendo á la Universidad de Salamanca su Sexto de Decretales en* 1298.

Bonifatius Eps servus servorum Dei.

Dilectis filijs Doctoribus et scolaribus Universis Salamance commorantibus salt et aplicam ben. Cum nuper, Deo nobis auxilium prebente, Rome apud Sanctum Petrum, V non. martij Pontificatus nri

(1) Copiada de la Historia general de Mallorca, tomo 3.° pág. 51 de la edición de 1841.

anno quarto, ex nonnullis decretalibus predecesorum nostrorum Romanorum Pontificum, atque nostris librum, quem annumeratum quinque veteris voluminis decretalium libris sextum volumus nuncupari, ediderimus, tam ad utilitatem studentium (1) quam ad expediendarum litium compendiosum remedium, Universitati vestre per aplica scripta mandamus, quatenus prompto animo summaque ope et alacrí studio illum, quem sub bulla nostra inclusum vobis transmictimus (*sic*), suscipientes eo utamini in juditijs et in scolis, ut et studiosi per ipsum á voce magistra *(magra)* efficiantur eruditiores, et celeriorem juditia terminum sortiantur Datum Reate VIIII Kalendas (Kls) octobris Pontificatus nostri anno cuarto (2).

## NÚMERO 11.

### *Privilegio de Don Jaime en 1300, eligiendo á Lérida para poner allí estudios.*

"Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ et Murciæ, ac Comes Barchinonæ dilectis et fidelibus suis paciariis, et probis hominibus, ac toti vniversitati civitatis Illerdæ presentibus et futuris salutem et graciam.

Dum noster curis animus agitatur assiduis, quam nobis sit utile, quam decorum viros erudire prudentes, per semina doctrinarum, qui per studium prudentiores effecti, Deo nobisque complaceant, ac regnis et terris nostris, quibus Deo propitio presidemus, fructus afferant salutares; ad id precipue curas nostras dirigimus per quod viris eisdem scientiarum quarumlibet honestarum apud nos alimenta condantur, ut nec potissime nostros fideles et subditos pro investigandiis scientis nationes peregrinas expetere, nec in alienis ipsos oporteat regionibus mendicare. Cum igitur Sanctissimus in Christo pater ac Dominus Dominus Bonifacius Papa octavus per speciale privilegium Nobis hoc scientibus duxerit concedendum, ut in aliqua civitate vel loco terræ nostræ insigni fundare vel ordinare possemus studium generale,

(1) Véase porqué lo remite á la Universidad, como á las de Bolonia, París y Oxford.

(2) Se conserva original en el Archivo de Salamanca en un gran pergamino. La de París dicen que lo perdió. Al frente del Sexto de Decretales suele copiarse la dirigida á la de Bolonia. Por desgracia no se conserva el libro original enviado por el Papa, que fuera un autógrafo precioso y de gran valía.

Se han suprimido algunas abreviaturas y suplido la puntuación.

et quod idem studium postquam per nos existeret ordinatum, eisdem gratiis privilegiis, et indulgentiis gauderet omnino, quæ á sede Apostolica Tholosano studio sunt concesæ, prout in ipso privilegio plenius continetur, Nos habito diligenti tractatu et consilio pleniori super electione loci, quo posset commodius idem studium ordinari, ad civitatem Illerdæ, velut ortum fertilitatis et fecunditatis conclusum, ac fontem deliciarum signatum, quæ quasi quoddam intermedium terrarum ac regnorum nostrorum existit, oculos nostræ considerationis super hoc vigiles duximus dirigendos. Ad ejus namque reformationem ac statum laudabilem tanto diligentius et specialius speramus, quanto civitatis ejusdem ac vestram, honorabiles cives, antiquam nobilitatem, legalitatem et fidem, ac grata pariter et accepta prædecessoribus nostris, nec minus nobis per vos impensa servicia ad nostram crebrius memoriam revocamus. Per nos igitur et omnes succesores nostros volentes civitatem eandem hujusmodi gratiæ nostræ prærogativa potiri, tantique honoris titulis decorari, gratis et ex certa scientia civitatem prædictam auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte ac etiam nostra, ad *generale studium* præ ceteris locis et civitatibus terre nostræ eligimus de præsenti ac etiam ordinamus, volentes ac firmiter statuentes ut in ipsa civitate sit studium generale de cetero tam in jure canonico quam civili, medicina, philosophia et artibus ac quibuslibet facultatibus aliis, et approbatis scientiis quibuscumque. Ita quod de cetero nulla persona cujuscumque præminentiæ, dignitatis, conditionis, status aut legis existat, tam audax reperiatur, quod in aliquo loco terræ et dominationis nostræ ubique citra mare habitæ, vel Deo autore in futurum habendæ, jura canonica vel civilia, aut libros medicinæ sive philosophiæ audeat vel præsumat aliquibus scholaribus legere vel docere: neve scholaris quicumque præsumat infra terram et dominationem nostram alibi quam in nostro studio Illerdensi jura canonica vel civilia, scientiam medicinæ seu philosophiæ á quocumque causa lectionis audire. Alioquin iram et indignationem nostram et penam mille aureorum tam legentes quam audientes, quotiens convenerint, se noverint incursurum, præsenti statu seu privilegio nichilominus in suo robore duraturo. Et quia cordi nobis existit idem prosequi studium continuis gratiis et favoribus oportunis, illas ad præsens libertates et gratias ac indulgentias qualescumque quæ á Sede Apostolica Tholosano Studio sunt concessæ, ipsi eidem studio Illerdensi, doctoribus et magistris ac scholaribus ibidem studentibus et studere volentibus, auctoritate Apostolica atque nostra de regiæ liberalitatis beneficio concedimus et donamus, ac etiam confirmamus. Intendentes

in posterum, prout temporum et negotiorum exegerit qualitas, eidem studio, et scholaribus de libertatibus et immunitatibus et gratiis continuis liberaliter providere; quibus idem magis percipiat studium incrementum. Hoc igitur donum solemne Nos Rex præfatus mente gratuita, ac etiam corde bono, vobis dilectis et fidelibus nostris paciariis, probis hominibus ac toti Universitati Ilerdæ præsentibus et futuris per nos et omnes successores nostros offerimus, concedimus et donamus, prout melius et plenius dici et intelligi potest ad vestrum et dictæ civitatis commodum et vestrorum; ut scilicet dictum studium generale in ipsa civitate habeatis, gubernetis ac etiam ordinetis. Salvis semper privilegiis et gratiis per nos vel successores nostros concessis eidem studio seu etiam concedendis, et salvis pactis et conventionibus per nos eidem promissis atque concessis et concedendis et omnibus aliis nostris præceptis et ordinationibus quibuscumque, quæ ad utilitatem ipsius studii Ilerdensis nobis et successoribus nostris necessariæ videbuntur. In cujus rei testimonium præsentem cartam concessionis et donationis de dicto studio vobis concedimus, ac nostra bulla plumbea tradi præcipimus communitam. Datum Cæsaraugustæ Kalendis Septembris anno Domini M. trecentesimo. Signum Jacobi Dei gratia Regis Aragonum. Testes sunt. Eximinus Episcopus Cæsaraugustanus. —R. Episcopus Valentinus.— Eximinus P. Abbas Montis Aragonis.— Ia. Dominus de Xericha.— P. Dominus de Ayerbe.— P. Ferrandi.— Rug. de Entenza.—Luppus Ferrench de Luna.—P. Martinis de Luna. —Joannes Martinis de Luna.--Artaldus de Luna.—P. Cornelii.—Eximinus Cornelii.—Sancius de Antilione.—P. Luppi de Oteyza.—P. G. de Castilione.— Eximinus P. de Arenós.—Et plures alli ibidem ad generalem curiam congregati.

Fuit clausum per Bernardum de Aversone de mandato Domini Episcopi.„

En el título de *vita et honestate scolarium* es notable el párrafo siguiente:

..... statuimus quod nullus *phisicus*, *poeta*, *grammaticus* vel *artista*, exceptis pueris qui nondum ætatis suæ annum XIIII disimiliter exegerunt, in festivitatibus *Sancti Nicholay et Sanctæ Katerinæ* præsumant tripudiare sive ballare per civitatem vel ludos facere inhonestos, vel alias velati incedere cum habitu Judearum vel *Sarracenarum*.....

## NÚMERO 12.

### *Privilegio de D. Jaime II prohibiendo enseñar en sus Estados fuera de la Universidad de Lérida, año* 1300.

Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, et Murciæ ac Comes Barchinonæ.

Dilecto suo Vicario Barchinonensi vel ejus locum tenenti salutem et dilectionem. (1)

Cum nuper in civitate Lleridæ generale studium in utroque jure medicina et Philosophia et aliis quibuslibet artibus et scientiis tam auctoritate apostolica nobis in hac parte concessa, quam nostra, duxerimus ordinandum; ut et idem studium magis percipiat incrementum statuerimus firmiter et districte ne in aliquo loco terræ aut dominationis nostræ habitæ vel habendæ, præterquam id Studio Ilerdensi, aliquis audeat jura, medicinam vel philosophiam legere seu docere, neve quis á quocumque lectionis causa præsumat audire, sub pena mille morabatinorum, quam transgresores incurrere volumus ipso facto; id circo vobis dicimus et mandamus quatenus in civitate Barchinonæ, villis et locis insignibus infra jure dictionem vobis commissam constitutis, faciatis hoc edictum et ordinationem nostram solemniter publicari; et ne contra prohibitionem nostram prædictam ab aliquo cujuscumque præheminentiæ, dignitatis, conditionis, legis, aut status existat aliquid attemptetur, curetis artius evitari, si de nostra confiditis gratia vel amore. Datum Cæsaraugustæ nonis Septembris anno Domini MCCC.„

## NÚMERO 13.

### *Ordenanzas Reales de la Universidad de Lérida en* 1300.

Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ et Murciæ, ac Comes Barchinonæ universis Doctoribus, et magistris atque scolaribus cujuscumque scientiæ, præsentibus et futuris in Studio Ilerdensi studentibus et studere volentibus, salutem et gratiam ac benevolentiam suam semper. Curas nostras continua solicitudo non deserit subjectorum sic commodis specialis quadam affectionis gratia providere, ut illa præci-

(1) Iguales cartas se dirigieron á otras várias ciudades principales del Reino.

pue nutriamus pro viribus, que nostræ reipublicæ pariant utilitatem pariter et proffectum. Id circo scientiarum doctrinam, per cujus cultum divinæ res et humanæ disponuntur commodius, in nostris subditis affectantes, nuper habito super hoc diligenti consilio et tractatu, in civitate nostra Ilerdensi studium generale in jure canonico et civili, medicina, philosophia et artibus, et aliis apperobatis et honestis scientiis quibuscumque, auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa ac etiam nostra, duximus ordinandum. Ipsam nempe civitatem ad hoc aptiorem elegimus, tamquam locum communem et quasi regnorum et terrarum nostrarum intermedium quoddam, fertilitate victualium opulentum, æris temperantia moderatum, aquarum et fluminum abundantia circumseptum, nobilitate civium insignitum ac decenti populo decoratum. Unde licet eidem studio ab ipsa Sede Apostolica supra dicta onmes indulgentiæ, immunitates et gratiæ sint concessæ, quæ Tholosano studio sunt indultæ; quia tamen cordi nobis adhuc existit, ut idem studium sic ex continuo gratiarum fomento suscipiat incrementum, quod ejus palmites dilatati perducantur ubique, quibusdam aliis specialibus donis et infrascriptis statutis et ordinationibus gratiosis, quas inferius ad perpetuam rei memoriam, et ut ad vestram perferantur notitiam subnotamus, disposuimus rubricare.

In primis igitur volumus, ac ipsi eidem studio perpetuo indulgemus, quod universitas scolarium forensium (1), qui non sint de civitate Illerdæ, clerici vel laici in utroque jure studentes dumtaxat, habeant potestatem annis singulis sibi eligendi et creandi rectorem, consiliarios ac generalem bedellum et bancharios, prout sibi ad utilitatem ejusdem studii videbitur expedire. Ita quod ipse rector et consiliarii similiter sint forenses. Qui rector et consiliarii illam habeant in doctoribus et magistris et scolaribus cujuscumque scientiæ in eodem studio residentibus tam privatis quam extraneis potestatem, quam in Studio Bononiensi et in aliis studiis generalibus habere noscuntur. Item quod idem rector et consiliarii ad commodum et utilitatem ipsius studii possint facere et ordinare statuta, ac doctoribus, magistris et scolaribus penas et mulctas imponere, si ea non servaverint, sibive non obedierint, prout in dictis studiis fieri consuevit.

Item quod doctores et magistri, tam in utroque jure quam in aliis quibuscumque scientiis, in ipso studio creandi vel assumendi ad magistratus honorem, priusquam assumantur, in præsentia rectoris ipsius studiis sint diligenter private ac publice doctorum vel magistro-

---

(1) *Forenses* equivale á forastero: *deforas esse.*

rum et aliorum in illa scientia, ad quam assumendi sunt, peritorum examinatione subjecti, prout in dictis generalibus studiis observatur. Ita tamen quod librum et auctoritatem legendi et magistralem dignitatem suscipiant á cancellario nostro vel ejus vicario præfato studio præsidenti, quem semper esse volumus et ordinamus propter honorem ecclesiæ et ipsius studii, canonicum Ilerdensem. Quod quidem cancellariæ officium volumus esse perpetuum. Nec propterea quia canonico Ilerdensi debemus (vel volumus) ipsum comittere sive concedere, dignitas personatus, officium vel beneficium ecclesiasticum ullatenus censeatur. Qui etiam cancellarius per nos taliter institutus tali subscriptione utatur. "Nos talis Cancellarius studii Illerdensis aucto„ritate Apostolica et Domini nostri Domini..... Regis Aragonum, qui„bus fungimur in hac parte, tali negotio nostram auctoritatem imper„timur etc.„ Et sic perpetuo volumus observari. Adjicientes quod idem cancellarius, etiam vel ejus vicarius examinationi tam privatæ quam publicæ, quæ fiet de dictis doctoribus et magistris, vocari debeat ac etiam interesse. Non tamen ratione suæ presentiæ vel auctoritatis præstandæ, sub colore sigilli vel litteræ testimonialis tradendæ, aliquid á scholari promovendo accipere vel exigere possit per se vel per alium, publice vel oculte. Sed ejus notarius sive scriptor pro litteris et sigillis et omnibus aliis scripturis necessariis eidem negotio accipiat quod justum fuerit, et secundum personarum conditionem etiam moderatum. Ita quod de promovendo ad magistratus honorem in jure canonico vel civili ultra unam marcham argenti, in medicina vero ultra XX solidos, in aliis vero scientiis ultra X solidos ejusdem monetæ non possit petere vel habere pro sigillo, litteris et scripturis.

Item quod nullus doctor, magister, scolaris aut socii sive familiares vel continui domestici sui, neve aliquis stationarius, bedellus, librarius sive scriptor, clerici vel laici, qui causa morandi in ipso studio, vel etiam causa vendendi libros vel pergamena ad eamdem civitatem accesserint, capiantur, detineantur, pignorentur sive marchentur in personis vel propriis bonis ipsorum veniendo, stando vel redeundo pro aliquo debito antequam ad idem studium venirent contracto, nisi principales fuerint debitores sive fidejussores, et tunc etiam non valeant impediri, detineri vel pignorari ipsis offerentibus fidantiam de directo coram judice competenti. Non etiam pro debitis in quibus antequam venirent ad studium fuerant aliis personis, quam vicinis Ilerdæ principali sive fidejussorio nomine obligati, valeant dum in eodem studio fuerint inibi conveniri, immo jus repetendi domum sibi concedimus de præsenti. Super hoc autem sub cessionis vel alterius causæ simulatæ

colore per vicinos Ilerdæ nihil contra mentem hujus nostræ gratiæ machinaretur. Idemque super criminibus vel delictis, quæ mortis penam non ingerunt, per eos antequam ad studium venirent comissis, volumus observari, nisi jam fuissent per vicarium vel curiam et paciarios Illerdæ banuiti et præconizati ratione malefactorum ipsorum. Item quod nullus prædictorun capiatur, vel captus detineatur in persona pro ullo levi crimine seu delicto, quod penam mortis seu membri abcisionem non ingerat delinquenti, dum tamen fidejussores vel caplevatores coram suo judice psssint oferre idoneos, contraria consuetudine vel observantia civitatis Ilerdæ super hoc in aliquo non obstante.

Item quod nemo prædictorum cujuscumque conditionis existat teneatur in exercitum vel cavalcatam regalem seu vicinalem, nec etiam ad sonum vel appellitum invitus ire, vel alium mittere loco sui.

Item quod in hospitiis doctorum et magistrorum vel scolarium, clericorum vel laycorum, in eodem studio commorantium et studentium non fiat cerca vel indagatio per aliquos nostros officiales seu alias quascumque personas ratione alicujus, qui diceretur ibidem latere vel occultari. Nisi foret qui latere dicitur, pro tali maleficio inculpatus, quod mortis periculum vel membri abcisionem ingeret delinquenti: vel nisi insequutus per officiales nostros aut alios de mandato ipsorum se publice recollegerit in dictorum studentium hospitio in conspectu officialium eorumdem. Tuncque etiam in casibus supra dictis per nostros officiales, paucis personis adhibitis, ad id necessariis curialiter perquiratur, seu etiam extrahatur sine aliqua læsione hospitii et commorantium in eodem.

Item ut iidem studentes in majori quiete ac firmiori securitate permaneant, statuimus et ordinamus, quod nullus privatus vel extraneus tam audax reperiatur, quod infra loca limitanda infra dictam civitatem, et ad habitationem dictorum studentium specialiter assignanda, præsumat contra ipsos doctores, magistros, scolares eorumque familiares et onmes alios supradictos, seu alias quascumque personas masculos vel feminas, quæ causa studentium ibi permanserint, movere vel incipere barayllam sive rixam, nec eisdem inferre violentiam aliquam in hospitiis eorundem, vel etiam extra. Quod qui præsumpserit, si cum armis commisserit, vel ipsa etiam arma contra prædictos produxerit vel elevaverit, solvat C. solidos Jacen pro pena, vel subeat centum azotos. Et si eadem violentia fuerit judicata pro invasione seu trencamento hospitii, manum perdat, vel centum aureos redimat. Si vero citra invasionem hospitii cum gladio vel aliis armis percusserit, ita quod vulnus vel livor ictu appareat, solvat ducentos solidos Jacen,

vel subeat CC. azotos. Si autem quod absit, aliquis tantæ præsumptionis et temeritatis extiterit, quod sonum emittendo, vel multitudinem populi congregando quasi seditiosus ad hospitia studentium invadenda concitaverit, gratis ex hoc contra scolares, et studium materiam scandali suscitando, per gulam moriturus sine onmi remedio suspendatur, vel alia capitali pena plectatur ex qua protinus mors sequatur. Si tamen extra limitationes dictorum locorum prædictas studentibus et aliis fuerit violentia vel offensa illata, solvatur inde calonia sive bannum quod fuerit oppositum inter alios vicinos Ilerdæ inter se delinquentes. Quia tamen ipsi studentes et studium sub nostra protectione consistunt, et guidatico speciali, volumus ac firmiter statuimus, quod quicumque privatus vel extraneus cujuscumque fuerit conditionis, status aut legis, doctorem, magistrum, vel scolarem in dicto studio studentem considerata mente in persona propria extra rixam, vel citra defensionis corporis sui tutelam, atrociter verberaverit, vulneraverit sive occiderit, persona et bona illius sint nostræ voluntati omnino supposita, nisi coram tribus testibus ut inimicum deffidasset eundem prius per cinque dies. Ita quod doctor, magister vel scolaris, recepto ipso diffidamento, si suæ voluerit providere quieti, possit petere á diffidatore securitatem sibi præstari et dari: ad quam præstandam per nostros officiales compelli volumus quemlibet in persona et rebus, cujuscumque fuerit conditionis status aut legis fortiter et districte. Et quia parum est in civitate jus condere, si deffuerit exequutio, districte mandamus quod super dictis penis per nos superius appositis et expresis, nulla fieri possit remissio per nostros officiales sine nostra licentia speciali. Immo si delinquens in præmisis affugerit, ubicumque fuerit infra nostram jurisdictionem repertus, in continenti ad requisitionem curiæ et paciariorum Ilerdæ, ad ipsos per quoscumque ad quos devenerit, eundem sub pena gratiæ nostræ mandamus remitti pro meritis recepturum. Si autem infra III menses inventus non fuerit latitando, de bonis suis, quæ habuerit, solvantur banna prædicta inter nostram curiam, et paciarios Ilerdæ, prout alia dividenda, et alias de eisdem passo injuriam plenarie satisfiat.

Item concedimus doctoribus, magistris, scolaribus et omnibus aliis supradictis, qui causa studii in dicta civitate permanserint, sive clerici sive laici fuerint, quod super civilibus causis, necnon etiam criminalibus, quæ tamen mortem vel abcisionem membri non ingerunt delinquenti, non possint, nisi sub quo maluerint de tribus judicibus convenirit; videlicet coram curia Ilerdensi, vel ejusdem Episcopo, sive coram studii memorati rectore; excepta solutione bannorum prout in

sequenti capitulo declaratur. Item volumus et concedimus quod si scolares et eorum familiares continui, et alii prædicti inventi fuerint in maleficiis vel cum armis infra afrontationes locorum eis ad habitandum in dicta civitate assignandorum, si de die fuerit, clerici vel laici perdant arma, et sine solutione alicujus banni faciant super malefactis de se querelantibus justitie complementum. Si vero de nocte in hujusmodi fuerint deprehensi, vel cum musicis instrumentis reperti, perdant arma et instrumenta. Et nichilominus, si laici fuerint, solvant medium bannum curiæ et paciariis, quod vicini civitatis ejusdem in tali casu solvere tenerentur. Si autem extra locorum limites prædictorum de die vel de nocte cum armis vel instrumentis fuerint inventi, vel alia comisserint sive delinquerint, si laici fuerint habeantur et judicentur in omnibus ut vicini; si vero clerici sint, exceptis armis et instrumentis, quæ sibi auferri per officiales nostros permittimus, in aliis ab Episcopo vel rectore studii corrigantur.

Item dicimus et concedimus omnibus venientibus ad dictum studium causa studendi, vel ibi studentium ratione morandi, quod de animalibus et zafrano et rebus aliis, quas ad dictam civitatem adducent vel portaverint, si contingat ipsas vendere in eadem, nulla lezda, pedagium vel aliqua exactio alia petatur vel exigatur ab ipsis. Si libri etiam vel pergamena causa vendendi ad dictum studium á quocumque mercatore vel alio portata fuerint vel vendita in eodem, nulla similiter lezda vel peadium exigatur. Item volumus et concedimus, quod pro aliqua barata, quam doctor, magister vel scolaris quicumque faciat in civitate Illerdæ de blando, vino vel alia re quacumque, licet illam rem scolaris revendat pro suo victu vel sua necessitate, quod non teneatur inde solvere lezdam vel alia jura nobis. Ita tamen quod ille talis debeat juramentum si exactum fuerit ab eo, præstare hoc ratione lucri vel mercaderiæ non facere, nec in fraudem juris nostri aliquid machinari.

Item concedimus et laudamus, quod unus vel duo mercatores vel alii, Judei vel Christiani, qui tamen non sint de civitate Ilerdæ, qui electi á rectore, et consiliariis ipsius studii causa mutuandi scolaribus et studentibus in ipso studio venerint moraturi ad civitatem Ilerdæ, quod nunquam ibi manentes ratione prædicta teneantur ire in exercitum vel cavalcatam seu appellitum, vel exire ad sonum, sive regalis, sive vicinalis fuerit exercitus, cavalcata vel appellitus. Et quod etiam de omnibus mercaturis quas ibi venderint, vel negotiati per se vel suos capitularios fuerint, non teneantur per cinque annos ex nunc á festo proximo Sancti Michaelis in antea numerandos præstare ullo

modo nobis vel aliis in dicta civitate, nisi mediam lezdam, et medium peatge, et medium portatge, et medium menseratge, sive medios civiolos de omnibus mercaturis, quas ibi vendiderint, vel fuerint negociati.

Item concedimus eidem studio, quod doctores, magistri, scolares et onmes alii superius nominati, cum familia, et rebus suis possint libere et secure ad ipsum studium venire et morari in ipso sub fide nostra undecumque sint, etiam si de terris inimicorum nostrorum existant, vel eorum qui guerram habent nobiscum, nisi forte persona suspecta; et tunc etiam tali personæ daretur tempus sufficiens ad exeundam de terra nostra cum rebus suis, ex quo ratione studii ostenderit se venisse.

Item promittimus et convenimus vobis doctoribus, magistris et scolaribus et aliis supradictis quod pacta et conditiones sive convenientias quas habebitis cum civibus Ilerdæ, et libertates et gratias quas modo vobis conferunt, et se promittunt vobis observaturos et facturos, et illas etiam quas obtinere de cetero poteritis cum eisdem, quæ quidem utilitatem vestram et bonum statum studii respiciant, vobis observabimus, et faciemus etiam vobis præsentibus et futuris per nos et successores nostros inviolabiliter perpetuo observari. Volentes, ac etiam vobis ad majorem plenitudinem gratiæ concedentes, quod in omnibus et singulis superius non expressis, quæ alias vestram vel dicti studii utilitatem respiciant et profectum, sitis pro vicinis Ilerdæ recepti, ac etiam judicati. Has igitur immunitates et gratias vobis donamus, concedimus, intimamus et offerimus quoad præsens, vos ad idem studium velut ad sollempne convivium liberaliter invitantes, firmam spem, fiduciamque tenentes, ac certam de liberalitate regiá concepturi fiduciam, quod vos et idem studium, Deo auctore per quem vivimus et regnamus, amplioribus gratiis, libertatibus et indulgentiis honorare disponimus in futurum. Mandantes universis et singulis officialibus et subditis nostris præsentibus et futuris quod prædictas immunitates, gratias et ordinationes nostras præfixas observent, et faciant vobis in perpetuum inviolabiliter observari, et quod circa tuitionem, defensionem et gubernationem studii nostri Ilerdensis sint semper vigiles et intenti, si de nostra confidunt gratia vel amore. Datum Cæsaraugustæ, IV. nonas Septembris anno M trecentessimo.

Signum Jacobi Dei gratia Regis Aragonum. Testes sunt. Eximinus Episcopus Cæsaraugustanus.=R. Episcopus Valentinus.=Eximinus P. Abbas Montis Aragonis.=Ja. Dominus de Xericha.=P. Dominus de Ayerbe.=P. Ferrandi.=Rug. de Entenza.=Luppus Ferrench de Luna. =P. Martinis de Luna.=Johannes Martinis de Luna.=Artaldus de

Luna.=P. Cornelii.=Eximinus Cornelii.=Sanctius de Antilione.= P. Luppi de Otoyza.=P. G. de Castilione.=Exíminus P. de Arenos. Fuit clausum per Bernardum de Aversone de mandato Domini Episcopi.

## NÚMERO 14.

### *Aprobación de la doctrina de Lulio por la Universidad de París*, 1309.

"Universis præsentes litteras inspecturis Offitialis Curiæ Parisiensis in Domino salutem.

Noverint universi quod in præsentia Magistri Joanis de Salinas et Michaelis de Junquerio nostrorum Clericorum Juratorum, quibus in his et mayoribus fidem indubiam adhibemus, et quibus quoad hæc commissimus tenore præsentium vices nostras propter hoc personaliter constituti Magister Maslinus in Medicina Magister, Joannes Scotus in artibus Magister, Raimundus de Bitecun in medicina Bachalaureus, Fr. Clemens prior servorum Stæ. Mariæ Parissiensis, Frater Accursius eyusdem loci Magister, Petrus Burgundus in artibus magister, Ægidius de Vallesponte magister in artibus, Matthæus Guidonis in artibus bachalaureus, Gaufrichus de Melchis, Joannes Scotus, Petrus de Parisiis, Hebrandus de Frigia, Lulabertus de Normania, Laurentius de Hispania, Guillermus de Scotia, Henricus de Burgundia, Joannes de Normanis Baccalaureus in artibus, et Magister Ægidius, et plures alii usque ad numerum XL in dictis scientiis experti, asseruerunt per eorum juramenta non vi, dolo, metu vel fraude ad hoc inducti, sed sua spontanea voluntate ad requisitionem Magistri Raimundi Lulli audierunt per aliqua tempora Artem, seu scientiam, quam dicitur fecisse seu adinvenisse idem Magister Raimundus, quæ quidem Ars seu scientia sic incipit. — Deus cum tua gratia sapientia et amore. Incipit Ars brevis quæ est, etc. Asseruerunt dicti Magistri et omnes alii, ut prædicitur, per eorum juramenta coram præfatis juratis nostris, quod dicta Ars, seu scientia, erat bona, utilis et necessaria, prout ipsi perpendere potuerunt, seu etiam judicare, et quod in ea nihil erat contra fidem catholicam, seu etiam dictæ Fidei repugnans, multa autem ad sustentationem dictæ fidei, et quod ipsi facientia in dicta scientia poterant inveniri. Præmisa autem facta, acta et testificata ab ipsis magistris et bacalaureis, ut præfatum est coram præfatis Clericis juratis nostris fuerunt in domo, quam ad præssens inhabitat idem Magister Raimundus Lull, in vico Buceriæ Parissiensis, ultra parvum

pontem versus Sequanam, prout ipsi jurati nostri nobis retulerunt oraculo vivæ vocis. Ad quorum relationem sigillum praedictæ Parissiensis Curiæ duximus litteris præsentibus apponendum in testimonium præmissorum. Datis anno Dni. MCCCIX die Martis post octavam festi Purificationis Btæ. Virginis Gloriosæ.—M. de Junquerio„ (1).

## NÚMERO 15.

### *Carta de Clemente V reclamando un libro de Arnaldo de Villanova.* (1312.)

"Dudum quondam Magister Arnaldus de Villanova, Clericus Valentinae Diœcesis, *Physicus noster*, dum adhuc viveret, pluries, postquam assumpti fuimus ad culmen Apostolicæ dignitatis, nobis dixit oretenus se valde utilem librum super *Medicina practica* compilasse, quem nobis frequenter dare promissit, et etiam verbo deditin Nos ex tunc in quantum potuit ejusdem libri dominium transferendo. Cum igitur dictus Magister Arnaldus morte præventus præfatum librum tradere Nobis juxta hujusmodi promissionem nequiverit, Fraternitati vestræ ac vestrum singulis in virtute obedientiæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes et singulos Abbates, Priores, Decanos, etc. moneant, quod quicumque habeat vel habere alium sciat prædictum librum revelari, et ad Nos transmitti curet, quod sub excommunicationis pœna fieri jubemus. Datum Vienæ, Idibus Martii, an. 7.°„ (2).

## NÚMERO 16.

### *Privilegio de D. Jaime autorizando estudio de Gramática y Lógica en Játiva, á pesar del privilegio exclusivo de Lérida*, año 1319.

Jacobus Dei gratia, Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, et Corsicæ, Comesque Barchinonæ, ac sanctæ romanæ ecclesiæ vexillarius, almirantus et capitaneus generalis: fideli nostro justitiæ Xativæ aliisque officialibus nostris, vel eorum loca tenentibus ad quos præsentes pervenerint, salutem et gratiam. Cum ad audientiam nostram ex

(1) Copiada de la *Historia general de Mallorca*, t. III, pág. 71, refiriéndose a Wading, sub. an. 1303. núm. 33.

(2) Copiada del P. Pascual Cisterciense.

assertione pro parte juratorum et universitatis villæ Xativæ nobis facta pervenerit, quod vos prætextu inhibitionis et mandati per nos facti, ut nequis in civitatibus aut villis ditioni nostræ subjectis, præterquam in civitate Ilerdæ sub certa pœna audeat docere seu audire jura canonica vel civilia, medicinam, aut philosophiam, inhibetis ne in villa Xativæ legantur grammaticalia et logicalia, et Nos velimus quod sicuti in civitatibus et villis aliis ditionis nostræ grammáticalia et logicalia leguntur impune, sic in dicta villa Xativæ legi permittantur, cum intentionis nostræ non sit inhibitionem prædictam ad grammaticalia et logicalia se extendere. Idcirco vobis dicimus et mandamus quatenus permittatis in dicta villa Xativæ grammaticalia et logicalia absque impedimento aliquo legi et doceri, et á legentibus seu audientibus pœnam aliquam minime exigatis. Data Barchinone pridie Kalendas Madii anno Domini millessimo CCC nono decimo.

## NÚMERO 17.

### *Devolución de las tercias reales á la Universidad de Salamanca por Clemente V.*

Clemens Episcopus, servus servorum Dei: Venerabili fratri Archiepiscopo Compostellano, salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum oblata Nobis Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Salamantini petitio continebat, quòd licèt ab ólim de Tertijs decimarum Civitatis, et Diœcesis Salamantinæ Magistris, et Doctoribus, qui in diversis Facultatibus in Civitate ipsa, ubi tunc vigebat studium generale, regebant, certa ministrentur salaria ad hoc eis specialiter deputata; demum tamen, quia fuerat ab hujusmodi salarij solutione cessatum, nec aliqui habebantur redditus aliunde, ex quibus dictis Magistris hujusmodi possent salaria ministrari, præfatum studium in Civitate ipsa, in non modicum totius patriæ detrimentum extiterat derelictum. Quare præfatus Episcopus nobis humiliter supplicavit, vt intendere circa reformationem dicti studij de benignitate Apostolica dignaremur. Nos verò, hujusmodi petitione diligenter inspecta, et cupientes, vt præfatum studium reformationem suscipiat nostro ministerio salutarem, tibi per alias nostras litteras dedisse recolimus in mandatis, vt super annuo valore duarum partium tertiæ partis decimarum Civitatis, et Diœcesis prædictarum, et ad quam summam tertia pars tertiæ partis decimarum totius Salamantinæ Diœcesis poterat singulis annis ascendere, et quid fabricis Ecclesiarum dictarum Civitatis et Diœcesis

consueverat de prædictis tertijs applicari, quantumque communi æstimatione sufficeret ad manutenendum fabricas ante dictas, quotvè Magistri, et in quibus facultatibus, regere consueverant in studio suprà dicto, et quæ illis salaria ministrari temporibus memoratis, per te, vel per alium, seù alios, inquisita diligentius veritate, nobis quod super his invenires, ut quid agi expediret in præmissis, certiùs scire possemus, per tuas litteras intimares: post modum verò per te authoritate literarum hujusmodi super prædictis, inquisitione habita diligenti, et his, quæ per inquisitionem hujusmodi circa numerum Magistrorum, et Doctorum olim in dicta civitate regentium, et in quibus facultatibus regere, ac docere solebant ibidem, et quæ illis prædictis temporibus consueverant ministrari salaria, et alia prædicta reperisti, notificasti nobis per tuas litteras speciales; ac deinde per Nos illis matura deliberatione discussis, et insuper considerantes attentius, quòd ille Pastor æternus, qui clavem omnis scientiæ secum habet, ad hoc gregi fidelium præesse nos voluit pia dignatione pastorem, vt eum pascamus sana scientia, et doctrina, et propterea cupientes in domo Domini habere filios eruditos, qui scientiarum radijs illustrati, domum ipsam splendore claritatis illuminent, custodiant in illa justitiam, legem divinæ Majestatis exquirant, et qui sunt in ipsa fidelibus luce resplendeant actionum, ac sperantes quòd ejusdem reformatio studij erit fidelibus illarum partium multipliciter fructuosa, per illud Fidei Catholicæ palmites latiùs extendentur, et Ecclesiarum status salubria, Deo propitio, suscipiet incrementa: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu, qui loci Metropolitanus existis, quíque circa assignationem tertiæ partis tertiæ decimarum hujusmodi pro salarijs Magistrorum, et Doctorum ipsorum faciendam, poteris vacare commòdius in tuo Concilio Provinciali de consilio Suffraganeorum, qui in Concilio ipso convenient, vel majoris partis ipsorum, tertiam partem de hujusmodi tertia decimarum prædictarum Civitatis, et Diœcesis Salamantinæ, in salaria Magistrorum, et Doctorum, quos in Decretis, Decretalibus, Legibus, Medicina, Logicalibus, et Gramaticalibus, et Musica, regere, ac docere pro tempore in dicta civitate contigerit, vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ convertendam, super quò tuam conscientiam oneramus, authoritate nostra deputes, et assignes. Volumus insuper quòd tu, ac Successores tui Archiepiscopi Compostellani, qui pro tempore fuerint, in simili Concilio de consilio dictorum Suffraganeorum, vel majoris partis ipsorum, alicui, vel aliquibus discretis, de quo, vel quibus tibi, et ipsis videbitur, quoties expediens fuerit, authoritate committatis prædicta, ut de præ-

dicta tertia parte hujusmodi tertiæ decimarum ipsorum dictis Magistris et Doctoribus faciant pro tempore responderi, ipsamque, nihil sibi appropriando inter ipsos distribuant pront melius, et utilius viderint expedire, dictisque Magistris, et Doctoribus de ipsa reddant annis singulis rationem.

Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.....

Non obstantibus quibuscumque privilegiis..... Datum in prioratu de Gransello prope Malansanam, Vasionensis Diœcesis, secundo idus Octobris, Pontificatus nostri anno octavo.

## NÚMERO 18.

### *Pragmática de Enrique II á favor de los maestros en* 1319 (1).

"Por cuanto en los nuestros reinos y señoríos no se puede pasar sin maestros que enseñen las primeras letras; por ende ordenamos y mandamos que la casa que el maestro eligiera para su menester y enseñanza no se la quiteis ni hagais quitar, antes la habeis de dar y quitar para él, dando y pagando lo que le vale la renta de ella, y que sea en parte pública.

„Item: vos ordenamos y mandamos que los maestros examinados no sean presos nin molestados por ninguna causa nin razón, nin lleveis á la cárcel pública sin dar primero cuenta á nuestro Consejo, y tan solamente si fuese causa de muerte le prended y dad la casa por cárcel, y poned pena no la quebrante, y le remitid á nuestra casa y córte, y non habeis de conocer de esta causa nin de las demás, pena de mil doblas de oro al que lo contrario ficiera; y desde luego para entónces vos damos por condenados, aplicándolo para nuestra casa y córte, sinon que hagan y gocen todas y cualesquiera preeminencia y franquicia que gozan los fijosdalgos, por cuanto están enseñando nuestros fijos.

„Item: ordenamos y mandamos á las nuestras justicias que si los maestros tuvieren algun pleito, lo fagais ver el primero, y á las justicias y escribanos vos mando salgais á recibir á los maestros tres pasos de vuestra audiencia, y deis asiento y les oigais y guardeis justicia, so la dicha pena de las mil doblas de oro á los rebeldes que lo contrario

(1) Enrique II en su real pragmática expedida en Toro el año 1319, confirmada después por los Reyes Católicos, por Carlos I, Felipe II, Felipe III, Felipe V, Fernando VI, Carlos III y Carlos IV.

ficieren contra las nuestras leyes y pragmáticas nin les lleveis derecho en causa ninguna sino antes les haced pagar.

„Item: vos ordenamos y mandamos que los tales nuestros maestros puedan tener armas defensivas y ofensivas, públicas y secretas para en guarda de su persona, y puedan tener cuatro lacayos ó esclavos con espada, y tengan caballos de armas como los fijosdalgos so la pena de las mil doblas de oro á las personas y justicias que contra estas leyes fueren.

„Item: ordenamos y mandamos que de ninguna manera non consintais que en la casa de los tales maestros no se hayan de alojar compañías nin soldados de repartimiento.

„Item: vos ordenamos y mandamos que los maestros ante todas las cosas non sean quintados, y si cayere el quinto en su casa, es nuestra voluntad pase adelante sin que sean molestados, sino que se pase dejando libre al maestro quede en su casa quieto y pacífico, y concedido que non le hagais salir por fuerza en actos públicos y alardes si él de su voluntad non fuere.

„Item: por fallarnos bien servidos y pagados de nuestros maestros que nos enseñaron, así en estos como en los que fueren en adelante, les concedemos que estando en acto de no poder enseñar y hayan enseñado la Doctrina cristiana cuarenta años, es nuestra voluntad que gocen de todas cuantas gracias y privilegios gozan los duques, marqueses y condes de nuestra casa, y se les dé para sustento lo que hubiere menester cada año, y de ser su voluntad el pedir la cantidad que quisiere en la nuestra casa y córte, y ha de durar por todos los dias de su vida.„

## NÚMERO 19.

### *Privilegio de la Reina Doña María, confirmando los de sus antecesores: año de* 1345 (1).

Donna maria por la gracia de Dios Reyna de Castiella e de leon Al Conçeio e a los jueses e a los alcaldes e a los otros officiales de la çibdad de Salamanca que agora y son o seran de aqui adelante o aqual quier o aquales quier dellos que esta mi carta vieren ssalud e gracia. Sepades que la vniuersidat de los escolares del estudio de la dicha Çibdad me enbiaron mostrar vn quaderno ssignado de escriuano publico seellado de dos sellos de çera colgados en que estauan traslados

(1) Publicado en la Memoria-Anuario de la Universidad de Salamanca, en 1882.

de cartas e preuillegios de mercedes que los Reyes onde el Rey mio sennor e yo venimos fisieron a los dichos escolares entre los quales me mostraron traslado de vna carta del Rey don alfonso que Dios perdone en que se contiene que manda que ninguno de Salamanca non enpreste armas nin ayude a los escolares para pelear. E otro traslado de otra carta del Rey don ferrando que Dios perdone en que manda que los escolares non paguen portadgo de las cosas que traxieren al estudio para si mismos. E otro traslado de otra carta del Rey don Alffonsso en que se contiene que manda que si algunos escolares fueren peleadores o boluedores o que enbarguen al estudio por alguna manera que el obispo e el maestrescuela de Salamanca que los fagan prender e echar en la carçel o que los echen de la villa. E otro traslado de vna carta de la Reyna donna Costança en que se contiene que quando el conçeio de Salamanca fisiere ordenamiento sobre fecho de las viandas sennaladamente en fecho de la carne que tomen dos omes buenos de la vniuersidad de los escolares que lo tassen con ellos. E otro traslado de otra carta del Rey don ferrando en que manda que ningun cristiano nin judio non alquile casas que sean para los escolares fasta que ayan los escolares cunplimiento de casas. E otros traslados de otras cartas del Rey don alfonso en que se contiene que los de la dicha çibdad den las casas a taxaçion a los escolares e si alguna condiçion fisieren los sennores de las casas con los escolares en que las dexen a tienpo çierto que manda que non vala mas que moren en ellas los dichos escolares e paguen aquella quantia en que fueren taxadas por dos omes buenos de la dicha çibdad e dos escolares dados de parte del estudio. E si por aumentura los sennores de las casas tomaren de los escolares mayor quantia de la taxacion que gelo tornen con el doblo. E otro traslado de otra carta de sentencia que dio el Rey don alffonso en que mando que en el tienpo que el vino fuere caro en la dicha çibdad que gelo uendan e den a ellos como ualiere en çamora e esto que lo sepan tres veses en el anno ssegund que todo esto mas conplidamente se contiene en los dichos traslados. E los dichos escolares enbiaron me pedir merçed que les confirmasse las cartas e preuillegios que tenian en esta rrason e gelas mandasse guardar como en ellas dise. E yo por les faser bien e merçed confirmo les las cartas e preuillegios que tienen en esta rrason en quanto tanne a las clausulas sobredichas e mando que les ualan e les sean guardadas e conplidas en todo bien e conplida mente segund que en ellas se contiene. E mando a uos que veades los preuillegios e cartas originales que tienen enesta rrasson e non les passedes nin conssintades que otro ninguno les passe en ninguna manera contra las

dichas clausulas mas guardad gelas e conplid gelas en todo bien e conplida mente segund dicho es. E non fagades ende al por ninguna manera sopena de la mi merçed e de çient maravedis de la moneda nueua a cada vno. E desto les mande dar esta mi carta sellada con mio sello de Çera colgado. Dada en Burgos veynte e dos dias de Abril Era de mill e tresientos e ochenta e tres annos. (1345 de J. C.)—yo bartolome sanches la fis escriuir por mandado de la Reyna.— Juhan ssanches—vista—johan martines—alfonso fferrandes.

## NÚMERO 20

## *Privilegio de D. Pedro IV creando Universidad en Huesca, año* 1354.

Nos Petrus, Dei gratia, Rex Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ et Corsicæ, Comesque Barchinonæ, Rossilionis, et Ceritaniæ. Dum noster animus curis agitatur assiduis, quam nobis sit utile et decorum, viros erudire prudentes, per semina doctrinarum, qui per studium prudentiores effecti, Deo nobisque placeant, ac Regnis et terris nostris quibus Deo propitio præsidemus, fructus afferant salutares: ad id præcipue curas nostras dirigimus, per quod viris eisdem, scientiarum quarumlibet honestarum, apud nos alimenta condantur. Ut ne potissime Aragonenses fideles nostros, et subditos, pro investigandis scientiis, nationes peregrinas pergere, neve in alienis ipsos opporteat regionibus mendicare. Cum igitur Divina præsidente gratia, Regna nostra, à paucis citra temporibus, augmentata existant, et in posterum ipsa prævia augmentari vberius confidamus, devotione ducti solicita, quam ab infantia vigili animo, ad prætiosissimam Virginem beatam Mariam de Salis, et ad felicem confessorem sanctum Martinum de Valdonsera, quem protectorem nostrum in Regnorum acquisitionibus jugiter habuimus: tractatu præcedente assiduo ad subditorum nostrorum, ipsius Civitatis Oscen. prædictæ velut horti fælicitatis ac fæcunditatis, aærisque purissimi et delicatorum victualium præceteris insigniri, oculos nostræ considerationis, super hoc vigiles duximus dirigendos. Ad ejus namque reformationem, ac statum laudabilem, tanto diligentius et specialius aspiramus, quanto civitatis ejus, ad ipsius honorabiles cives, antiquam nobilitatem fide et legalitate, ac grata pariter et accepta prædecessoribus nostris, non minus Nobis per vos impensa servitia, ad vestram crebrius memoriam revocamus. Per Nos igitur et nostros successores, volentes civitatem eandem hujusmo-

di gratiæ nostræ prærogativa potiri, tantique honoris titulis decorare, gratis, et ex certa scientia, Civitatem prædictam auctoritate nostra, ad generale Studium præceteris locis et civitatibus Regni nostri Aragonum eligimus, de præsenti, et etiam ordinamus, volentes ac firmiter statuentes, ut in ipsa civitate sit Studium generale de cetero, tam in Theologia, Jure Canonico, quam Civili, Medicina, Philosophia, et Artibus, ac etiam quibuslibet facultatibus aliis, et scientiis approbatis. Ita quod de cetero nulla persona, cujuscunque præheminentiæ, dignitatis, conditionis, aut legis existat, tam audax reperiatur quod in aliquo loco Regni nostri Aragonum Theologiam, Jura canonica, vel civilia, aut libros Medicinæ, sive Philosophiæ, audeat, vel præsumat aliquibus scholaribus legere, vel docere, nec non scholares quicunque præsumant, infra Regnum nostrum Aragoniæ, alibi quam in nostro Studio Oscen. sacram paginam, præterquam in Ecclesiis et ordinibus, in quibus solitum est legi præfatam Theologiam. Jura Canonica vel civilia, scientiam Medicinæ seu Philosophiæ, et quacunque caussa lectiones audire alioquin iram et indignationem nostram, et pœnam mille aureorum, tam legentes, quam audientes, quoties contravenerint, se noverint incursuros presenti statuto, seu Privilegio in suo robore duraturo. Et quia cordi vobis existit, idem prossequi Studium, continuis gratiis et favoribus opportunis, quas ad præsens, libertates, gratias et Indulgentias qualescunque quæ á sede Apostolica Tolosano, Montispelerii, et Illerdensi Studiis sunt concessa, ipsi eidem Studio Oscensi. Doctoribus, Magistris et Scholaribus ibidem studentibus, et studere valentibus, auctoritate nostra de regiæ liberalitatis beneficio concedimus et donamus, ac etiam confirmamus, intendentes in posterum, prout temporum et negotiorum exigerit qualitas, eidem Studio, et Scholaribus, de libertatibus, et immunitatibus, et gratiis continuis, liberaliter providere, quibus iidem magis proficiant et Studium incrementis. Hoc igitur donum solemne, nos Rex præfatus, mente gratuita, ac etiam corde bono, fidelibus, nostris Juratis et probis hominibus, ac dictæ Universitatis Oscensis. præsentibus et futuris, per nos et omnes successores nostros concedimus et donamus, prout melius et plenius dici et intelligi potest, ad vestræ civitatis commodum, et vestrorum. Non obstantibus quibusvis Privilegiis et gratiis, Studio Illerdensi concessis: dictum generale Studium, per Nos, ut præcitatum est, concessum in ipsa Civitate habeant et etiam ordinent, ac etiam salvis semper Privilegiis et gratiis, per Nos vel successores nostros concessis, eidem Oscen. studii seu etiam concedendis, et omnibus aliis nostris præceptis, et ordinationibus quibuscunque, quo ad utilitatem ipsius

Studii Oscensis, nobis et successoribus nostris necessariæ videbuntur; in cujus rei testimonium præsentem fieri jussimus, sigillo Majestatis nostræ munitam. Dat. in Villa Alcagnitii, XII die Martii, anno á Nativitate Domini Millessimo tercentessimo quincuagessimo quarto.

Signum Petri Dei gratia Regis Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ et Corsicæ, Comesque Barchinonæ, Rossilionis, et Cæritaniæ. Testes sunt nobilis Luppus Comes, Lunæ, Bernardus de Caprian, Blasius de Alagone, Joannes Eximini Durrea, Dominus Dalcalaten, Ludovicus Cornelii, Signum Mathei Adriani, dicti domini Regis scriptoris, secretarii, qui de mandato ejusdem hæc scribi, feci et clausi.

## NÚMERO 21.

### *Cátedra de Teología en la Seo de Valencia, que se dió á la orden de Predicadores*, *año de* 1345 (1).

In nomine Domini, Amen. Anno Domini MCCCXLV, die..... quæ fuit 3 Kalen. Aprilis, Nos Raymundus miseratione divina Valentinus Episcopus, et capitulares septimana paschali capitulum ut moris est generale facientes in Sacristia ejusdem sedis congregati, in quo capitulo omnes res communes capituli tractantur et fiunt absque conventione canonicorum absentium, attendentes et considerantes quod viri litterati fulgere debent in Ecclesia militanti, ideo ad instar metropolitanæ Ecclesiæ Tarrachonensis, cum voluntate et consensu reverendorum patrum dominorum Imberti et Gocii sanctææ Romanæ Ecclesiæ cardinalium prepositorum in dicta Ecclesia Valentina, de quorum consensu nobis constitit per litteras eorum, provide duximus statuendum, quod de cetero sit in Valentina sede perpetuo unus lector in Theologia religionis approbatæ, qui legat sacram in ipsa sede Theologiam annis singulis, canonicis, rectoribus et aliis clericis ac laicis qui dictam scientiam audire voluerint et instrui in eadem. Cui lectori dentur pro suo labore per Nos episcopum et successores nostros annis singulis duodecim libræ regalium, et per quemlibet propositum viginti solidi dictæ monetæ in suo mense. Et quia aliqui predecessores nostri Episcopi, recepto habitu ordinis fratrum Prædicatorun, sub ipso habitu laudabiliter vixerunt et dies finierunt cum eo, ex quo tenemur ipsum Ordinem prosequi gratiis et favore: ideo Nos et capitulum prædictum statuimus et ordinamus quod Lector qui dictam scientiam in dicta sede

(1) Copiada de las Historias de Diago y Ortí.

leget, sit perpetuo ordinis Prædicatorum, et ipsum officium Lectoratus dicto ordini ex certa scientia assignamus. Sub tali tamen conditione quod ipse Ordo, seu ille, ad quem pertinebit ponere et asignare, teneatur in Lectorem personam sui ordinis sufficientem et idoneam ad cognitionem nostrorum Episcopi et succesorum nostrorum et capituli prædictorum.

In quorum omnium testimonium presentem ordinationem sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Quod fuit actum die et anno et loco prefixis.

## NÚMERO 22.

### *Pregón mandado publicar por el Concejo de Valencia, en 1374, sobre libertad de enseñanza* (1).

Ara ojats queus fan saber los honrats Justicia, jurats, consellers e prohomens de la ciutat de Valencia, que com alcuns hajen intenció que escola o estudi de gramatica o daltres arts en la dita ciutat nos puxa, nes deya tenir sino en cert nombre, o en certa manera, lo contrari dela cual cosa es ordenat expresament per fur *(fuero)*; per tal á tolre la dita intenció los dit Justicia, jurats, consellers e prohomens del quals se pertany notificar los furs, privilegis e libertats dela dita ciutat, e aquells defendre e matenir; ab la present publica crida intimen e notifiquen á tots en general que per expres fur antich es ordenat e atorgat a tot clerque o altre hom puixa franchament e sens tot servy e tribut tenir studi de gramatica e de totes altres arts, e de fisica, e dret civil e canonich en tot loch per tota la ciutat: lo qual fur e coses en aquel contengudes los dits justicia, jurats, consellers e prohomens volen esser observades, e entenen aquelles legudament defendre e mantenir, si per alcun o alcuns era assajat lo contrari.

(1) Publicado por Villanueva en el tomo II de su *Viaje literario*, pág. 105, refiriéndose al Manual de Consejos del archivo de Valencia, núm. 16, fól. 220.

## NÚMERO 23.

### *Bula de Pedro de Luna fundando Universidad en Calatayud, en* 1415.

Ad ea ex apostolicæ servitutis desuper injuncto Nobis offitio libenter intendimus per quæ personis studio litterarum deditis quantum cum Deo possumus utilitates et commoda procurentur. Hodie siquidem, ex certis tunc expressis et rationabilibus ad id nostrum inducentibus animum, studium generale in illa civitate nuncupata de Calatayub, Tirasonensis diœcesis, auctoritate apostolica instituimus, fundavimus et etiam ordinavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continentur. Nos igitur Doctoribus et Magistris in studio hujusmodi pro tempore legentibus, seu regentibus, de salariis seu pensionibus congruis providere cupientes tertiam partem reddituum et proventuum decimalium *quartorum* (1) nuncupatorum, necnon primitiarum ad fabricam et ornamenta ecclesiarum parroquialium sæcularium quarumcumque, infra archidiaconatum et Calatayub in ecclesia Tirasonensi consistentium, tam de jure, quam de antiqua consuetudine..... motu proprio..... auctoritate prædicta pro salariis seu pensionibus hujusmodi damus concedimus ac etiam assignamus..... Nulli ergo nominum liceat, etcétera.....

Datis Perpiniani, Elnensis diœcesis, Pontificatus nostri anno vigesimo primo (2).

## NUMERO 24.

### *Concesión de las tercias de Salamanca por Pedro de Luna, en su obediencia Benedicto XIII, dirigida al Arzobispo de Zaragoza, año de* 1416.

Franciscus miseratione divina, Archiepiscopus Cæsaraugustanus, Apostolicæ Sedis Nuntius.

Reverendo in Christo Patri Domino Episcopo Salamantino, salutem cum honore.

---

(1) En el Arcedianado de Calatayud y su comunidad no se pagaba diezmo, sino solamente el 4 por 100, según el fuero de población de D. Alfonso el Batallador.

(2) Aun no había sido depuesto y excomulgado.

Noveritis, Nos quasdam litteras Reverendi Domini Petri de Comollis, Domini nostri Papæ Subdiaconi, de ipsius Domini Papæ mandato, et. ordinatione nobis directas, clausas, et sigillatas, recepisse, sub forma sequenti.

Reverendissimo in Christo Patri, et Domino meo, Domino metuendissimo, Domino Francisco Archiepiscopo Cæsaraugustano.

Reverendissime in Christo Pater, et mi Domine metuendissime, humili recomendatione præmissa.

Credo sciatis saltem per auditum, quomodo Dominus noster, diù est, assignavit et concessit Universitati Studii Salamantini super tertiis Ecclesiarum Castellæ certam summam prò suis certis oneribus supportandis, et prò ut dicitur et cavetur in quibusdam litteris Apostolicis inde confectis, ad quas me refero, quia illas non vidi: præsumo quod vobis præsentabuntur ista de causa. Vult autem, et mandat Dominus noster, quòd dum sit locus, et dictæ tertiæ ad manus Ecclesiæ perventæ sint, procuretis, quòd præfatæ Universitati de dicta summa, seù quantitate, respondeatur. Et conservet vos Altitudo cœlestis. Peniscolæ, XVII, Januarii.

V. R. p. filius, et servitor humilis. Petrus Comollis Subdiaconus Domini nostri Papæ.

Et quia circa exequtionem mandati Apostolici in dictis litteris nobis facti, non possumus de præsenti intendere, seù vacare, exeqtutionem ipsius omnimodam Paternitati vestræ harum serie committimus, Nosque præsentium tenore subdelegamus; non intendentes, Nos potestate, et mandato prædictis totaliter exui, quin, si nobis videretur, eis inposterum uti valeamus.

Dat. in Valleoleti Palentinæ Diœcesis, sub impressione sigilli nostri in testimonium præmissorum, anno á Nativitate Domini millesimo, quatuor centesimo, sexto decimo; die verò vicesima mensis Februarii, Pontificatus dicti Domini nostri Papæ Benedicti XIII anno vicesimo secundo.

Franc. Archiepiscopus Cesaraugustanus.

## NUMERO 25.

### *Forma del juramento que se hacia al Rector de Salamanca, según las Constituciones de Martino V.*

*Constitutio VI. De juramento præstando ab Scholastico et officialibus et legatis.*

Item statuimus et ordinamus, quod Scholasticus ipse, qui est judex ordinarius studii ac præsentium executor, conservatores, notarius, bedelli, stationarius, syndicus, et alii officiales dicti studii, antequam admittantur ad eorum officia, ac etiam quolibet anno in manibus novi Rectoris post suam creationem, infra decem dies coram notario studii, ipseque notarius coram alio publico et testibus in forma quæ sequitur sigillatim præstent corporaliter juramenta.

Officiales jurent coram notario studii, et notarius studii coram alio infra decem dies.

Ego N. almæ universitatis studii Salamantini ab hac hora in antea fidelis et obediens ero dictæ universitati: consilium quod per se vel nuncium aut literas mihi creditura erit signo, verbo vel nutu ad ejus damnum, vel præjudicium nulli pandam. Si vero damnum tractari scivero, pro posse meo impediam ne fiat. Quod si per me impedire non possem, illud eidem universitati, aut illi, vel illis per quem, aut per quos, ad ejus notitiam deducatur, significare curabo. Et insuper officium mihi commissum bene et fideliter exequar, geram, et exercebo. Honores, ac jura, utilitates, et commoda universitatis, remotis odio, gratia, et favore pro viribus procurabo. Statuta universitatis ipsius quantum ad officium meum pertinuerit observabo. Et vobis domino rectori meo, ac omnibus et singulis mandatis vestris in licitis et honestis obediam, et ad vocationem vestram veniam totiens quotiens fuero requisitus. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia per me gratis tacta. Et ita juro.

Forma juramenti præstandi ab scholastico et officialibus.

Ultra hoc dictus Scholasticus juret quod á muneribus et encæniis abstinebit: ac suos omni diligentia qua poterit abstinere procurabit: esculentis, et poculentis moderatis duntaxat exceptis. Ambaxiatores vero quando mittentur ad aliqua loca, præstito juramento de fidelitate ut supra jurent quod nihil in præjudicium universitatis Rectoris, scholastici doctorum, magistrorum, nobilium et consiliariorum attentabunt. Conservatores etiam, et prædicti, ac quicumque alii officiales dicti studii supra posito de fidelitate præstito juramento jurabunt pro executione suorum officiorum, in ea forma quæ ipsi universitati visa fuerit expedire.

Scholasticus jurare tenetur qui ipse abstinetur á muneribus, faciet que suos quantum in se fuerit abstinere.

## NÚMERO 26.

### *Bula del Papa Martino V reformando las Constituciones de Salamanca: año de* 1431.

Martinus Episcopus, servus servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apostolicæ clementia moderata suæ largifluæ bonitatis in subditos gratiosè dona diffundens: illos propensius gratiarum ulnis amplectitur, qui literarum studiis mancipati, incomparabilis thesauri divinarum rerum et humanarum cognitionem apprehendere satagunt. In quos Deus artifex, et ancilla natura, bonorum morum et optimarum artium plantavere radices, et mater Ecclesia continue parturiendo parit, pariendo fovet, tandemque; producit in fidei catholicæ robustissimos pugiles, et athletas. Cum itaque, sicut accepimus, delecti filii universitatis studii Salmantini, circa Rectorem, Consiliarios, Scholasticum Ecclesiæ Salmantinæ, qui Cancellarius ipsius studii existit, conservatores, gubernatores, ac alios officiales, necnon Doctores, Magistros, Licenciatos, Bachalarios, et alios inibi legentes, et studentes, certasque personas ejusdem universitatis, ac super electionibus, regiminibus, administrationibus, sessionibus, cathedris, lecturis et salariis eorumdem, necnon super conservatione fructuum, proventuum, tertiarum, obventionum, ac aliorum jurium et bonorum dictæ universitatis, tam in capite quam in membris, laudabiliumque, et honestorum morum observatione reformatione non modica indigere noscantur, Nos ex injuncto pastoralis officii debito cupientes, quod Universitas ipsa sub bono et honesto regimine fideliter et politice regatur, et in melius augeatur, ad hujusmodi universitatis augmentationem et conservationem, ac ejus regiminis et administrationis reformationem, statuta, constitutiones et ordinationes infrascripta, maturo digesta consilio, præhabita prævia deliberatione, ex certa nostra scientia Apostolica authoritate præsentium tenore facimus, constituimus, statuimus, et etiam ordinamus, quæ perpetuis futuris temporibus per Rectorem, Scholasticum, Doctores, Magistros, ac omnes alios et singulos in eodem studio pro tempore existentes, ac alios quoscumque conjunctim et divisim, quantum ad eorum quemlibet pertinuerit, modis et formis, ac sub censuris et pœnis subscriptis volumus et districte præcipiendo mandamus inviolabiliter observari (1)..................

(1) Sigue el texto de las Constituciones.

Non obstantibus statutis et consuetudinibus Universitatis ejusdem Constituciones juramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominem liceat.....

Siquis autem hoc attemptare præsumpserit.....

Datis Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnat. Domin. MCCCC XXI. Sexto Kal. Martii: Pontificatus nostri anno primo.

## NUMERO 27.

*Bula de Eugenio IV nombrando Conservadores de la Universidad de Salamanca, atribuciones de éstos, y modo de proceder: año de* 1431.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Toletano et Episcopo Legion. ac dilecto filio Scholastico ecclesiæ Salmantinæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi cunctis quos clericalis status induit adversus eos lædere quærentium conatus ex injunctæ fidelis servitutis officio paternis assistere debeamus affectibus, illis digne qui virtutum, scientiæque studiis per quæ honorabilium bonorum notitia panditur donum sapientiæ acquiritur ac militantis Ecclesiæ respublica feliciter gubernatur, intendere non tepescunt ne ab exercitiis divertantur eorum congruis nos decet conservationum fulcire præsidiis, idque totis efficere curis, ut molestiis oppressionibusque semotis cunctis, et tranquillitatis persistant ubertate refecti.

Sane dilectorum filiorum Rectoris, ac universorum doctorum, magistrorum, et scholasticorum cæterarumque personarum universitatis studii Salmantini conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique ecclesiarum prælati ac clerici, et ecclesiasticæ personæ, tam seculares quam regulares, necnon duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, comunia civitatum universitatis oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum necnon aliæ singulares personæ, civitatum et diœcesium, ac aliarum partium diversarum occuparunt et occupare fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possesiones, jura et jurisdictiones, necnon fructus, reditus, census et proventus, Rectoris et Universitatis personarum hujusmodi, ac nonnulla alia, res et bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad universitatem et illius personas hujusmo di tam ratione suorum beneficiorum ecclesiasticorum quam alias conjuncte vel divisim legitime spectantia, et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium vel favorem: nonnulli etiam

civitatum diocesis et partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eiisdem Universitatis Rectori, Doctoribus, magistris, scholaribus, ac dictæ universitatis personis super castris, villis, locis, terris, domibus, possessionibus, juribus, jurisdictionibus, fructibus, censibus, reditibus, ac proventibus eorumdem et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus, temporalibus, et rebus aliis ad eosdem Universitatem, rectorem, doctores, magistros, scholares ac ipsius Universitatis personas conjuncte, vel divisim spectantibus multiplices molestias et injurias inferunt, ac jacturas, dictosque Universitatem, Rectorem, doctores, magistros, scholares, et ipsius universitatis personas diversis verbalibus, ac realibus contumeliis atque dispendiis afficere, necnon contra privilegia, concessiones et indulta Universitati, ac ejus personis prædictis á Sede apostolica et alias attributa temere et de facto venire ac quantum in eis est illa infringere non verentur. Quare Universitas, Rector, Doctores, Magistri, scholares et ejusdem universitatis personæ prædicti nobis humiliter suplicarunt ut cum ipsis valde reddatur difficile pro eorum querelis singulis ad eadem Sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, præsumptores molestatores, et injuriatores hujusmodi illos volentes eisdem Universitatis, Rectori, Doctoribus, Magistris, scholaribus, et dictæ universitatis personis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia præcludatur, discretioni vestri per apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis, conservatores et judices ipsis Universitati rectori, Doctoribus, Magistris scholaribus, et prædictæ universitatis personis efficacis defensionis præsidio assistentes non permittatis eos super præmissis, et quibuslibet aliis bonis rebus, ac juribus ad ipsas communiter, vel divisim spectantibus, á quibusvis indebité molestari, vel eis gravamina, damna sive injurias irrogari, aut privilegia, concessiones et indulta hujusmodi infringi vel impugnari quoquomodo facturi dictis Universitati Rectori, Doctoribus, Magistris, scholaribus, et ipsius universitatis personis cum ab eis, vel ipsorum aliquo, aut suis procuratoribus super his requisiti fueritis de prædictis et aliis personis quibuslibet super restitutione hujusmodi castrorum, villarum terrarum, locorum, jurium, jurisdictionum, fructuum, censuum, redituum, proventuum et aliorum bonorum quorumlibet, necnon de quibusvis molestiis, injuriis et damnis, ceterisque tam realibus quam personalibus actionibus, præsentibus et futuris in illis videlicet quæ

judicialem requirunt indaginem, summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii; in aliis vero prout qualitas eorum exegerit justitiæ complementum occupatores seu detentores, præsumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis steterint quandocumque et quotiescumque expedierit, autoritate apostolica per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii papæ VIII prædecessoris nostri, quibus cavetur ne aliquis extra civitatem suam, vel diœcesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam á fine suæ diœcesis, ad judicium evocetur seu ne judices et conservatores á Sede deputati prædicta extra civitatem et diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam á fine diœcesis eorundem trahere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali dum modo ultra quatuor dietas aliquis autoritate præsentium non trahatur. Seu quod de aliis quam de manifestis injuriis, ac violentiis et aliis quæ judicialem requirunt indaginem pœnis in eas, si secus egerint, et in id procurantes adjectis conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus á prædecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis aut aliis edictis, quæ vestræ possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim á prædicta sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu citra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi et eorum personis locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris exsitat per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam vestræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Cæterum volumus et eadem autoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quæque á data præsentium sit vobis et unicuique vestrum in præmissis omnibus et eorum singulis, cæptis et non cæptis, præsentibus et futuris,

perpetuata potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in præmissis omnibus, cæptis et non cæptis, præsentibus et futuris et pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia et singula coram vobis cæpta fuissent, et jurisdictio vestra sit cujuslibet vestrum in prædictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset constitutione prædicta super conservatoribus et aliaqualibet in contrarium edita non obstante.

Datis Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millessimo quadringentessimo trigesimo primo, sexto Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

## NUMERO 28.

### *Privilegio de nobleza á los Doctores en Derecho de Valencia, por el Rey D. Alonso V de Aragón, en* 1420.

Nos Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, etc.

Cedit ad Principis gloriam et honorem, ac suæ Reipublicæ commodum cum benemeritos servitores juxta eorum conditiones et merita, congruis benefitiis et honoribus ac prærrogativis prosequatur. Tunc enim ipsorum servitorum fervens devotio, et cuncti ad serviendum principi et ipsius Reipublicæ efficiuntur nec immerito promptiores. Hinc est quod ad clara sinceritatis indicia laudandæ fidelitatis affectum, puritatem fidei, ac promptum animum serviendi, quem vos dilecti, et fideles nostri jurati, probi homines et habitatores Civitatis Valentiæ ad Nos, et inclitam domum nostram gerere cordialiter novimus, prout per effectum operis produxistis, et producitis in apertum; considerationis Regiæ dirigentes intuitum, dignum arbitramur, et consonum rationi, ut Regia Serenitas, quæ ponderare solet conditiones, status ac merita singulorum, erga vos se exhibeat liberalem. Quapropter ad humilis supplicationis instantiam ambaxiatorum civitatis præfactæ in curia nostra residentium, de præsenti tenore præsentis Privilegii nostri, cunctis temporibus valituri, statuimus, volumus et ordinamus, vobisque juratis, probis hominibus, habitatoribus, et Universitati Civitatis prædictæ concedimus in donum gratiæ specialis, quod ab inde in antea æternis temporibus, onmes cives honorati, Doctores et Licentiati jureperiti, et alii cives, qui exercuerint, vel exercent in futurum officia justitiatus Criminalis, Civilis, juratorum, et Mustacasii, seu aliquod ex dictis officiis, haoitatores Civitatis prædictæ præsentes pariter, et futuri gaudeant et

gaudere possint, utantur, utique possint, et valeant plenarie, et potenter onmibus illis libertatibus, immunitatibus, honoribus, favoribus, gratiis et Privilegiis, quibus milites et homines de perantico gaudent, et gaudere possint, et debent, ututurque, et gaudere, et uti sint, quomodolibet consueti de consuetudine vel jure, aut allio quovis modo, ac dicti cives honorati, doctores, et licentiati habeantur et reputentur milites, ac si insignia militaria recepissent, et ad illa recipienda non adstringantur infra annum, vel post quomodocumque. Et prædicta concedimus, de nostra certa scientia, et de nostræ plenitudine potestatis, non obstantibus quibusvis Foris, Privilegiis, seu ordinationibus in contrarium editis, sive factis, vel quæ prædictis possent aliqualiter obviare; quæ quod prædicta ex plenitudine potestatis, voluntate, et assensu dictæ Civitatis tollimus et cassamus, Per hoc tamen privilegium non intendimus illos eximere á contributionibus, oneribus et donis Regalibus et vicinalibus, necnon ab exercitiis Officiorum Civitatis ejusdem, quinimo teneantur contribuere, et contribuant in dictis oneribus, atque donis, et acceptare quæcumque officia, illaque regere, et exercere, et ad id etiam compelli valeant assuetis remediis, tamquam cives dictæ Civitatis, sicut antea, et etiam possint, super criminibus, si quæ per eos committantur, condemnari et absolvi, sicut ante concessionem præsentis Privilegii condemnatio vel absolutio dictorum criminum pertineret: Mandantes cum hac eadem Inclito, et Magnifico Infanti Joanni, Duci Montisalbi, et Petræfellis, charissimo fratri nostro, in omnibus Regnis et terris nostris Gubernatori Generali, ejusque Vicesgerentibus, necnon universis, et singulis Officialibus nostris, et Subditis præsentibus et futuris dictorumque Officialium loca tenentibus, sub nostræ iræ et indignationis incursu, pœnaque quinque millium florenorum auri de Aragonia nostro Ærario applicanda, quod præsens Privilegium nostrum perpetuis temporibus teneant firmiter et observent, tenerique, et observari faciant ab omnibus inconcussé, et non contraveniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione, seu causa. Nos enim de certa scientia, et consulté sic fieri volumus et jubemus, non obstantibus quibusvis provissionibus, ordinationibus et statutis, aut aliis in contrarium editis, sive factis, super quibus ex nostra potestatis plenitudine dispensamus. In cujus rei testimonium præsens Privilegium vobis fieri jussimus, nostro Sigillo inpendenti munitum. Dat. Dertussæ 15 die Martii, Anno á Nativitate Dom. M. CDXX. Regnique nostri V.

## NUMERO 29.

*Privilegio de D. Alfonso V de Aragón para la fundación de la Universidad de Gerona, año de* 1446 (1).

Nos Alfonsus Dei gratia Rex Aragonum Sicilie citra et ultra farum, Valentie, Hierusalem, Hungarie, Majoricarum, Sardinie et Corsice, Comes Barchinone, Dux Attenarum et Neopatrie ac etiam Comes Rossilconis et Ceritanie.

Si ad private rei comoditatem quando id honeste agi posse conspicimus pro innata nobis liberalitate vices nostras adjutrices libenter adjicimus, nullo quidem pacto putandum censemus quin ad ea que utilitatem publicam et ipsius nostre rei publice incomparabile beneficium spectare videntur noster favor propiciabile comodetur presidium, cum privatorum causis omnino sit publicum officium preferendum. Sane oblata nobis pridie pro parte fidelium nostrorum juratorum civitatis Gerunde, vice et nomine universitatis ejusdem, suplex peticio effectualiter continebat: Quod cum ipsa universitas multis quidem tam justis quam honestis inducta motivis, et presertim experientia sciens ejusdem disposicione atenta, generale studium fundare et instituere gestiat, cum ipsa fundacione fotiva ad ea que requiruntur prontis affectibus preparentur, dignaremur sibi super hiis nostram auctoritatem et licenciam impertiri. Nos autem suplicacionibus hujusmodi tanquam justis et beneficis reipublicæ multum acomodis benigna exaudicione susceptis, intendentes pro tam honesti tamque sancti operis directione et omnipotenti Deo servicium et ipsi universitati et ejus singularibus nec non et rei publice regnorum nostrorum utilitatem augmentum patulum erogari: tenore præsentis charte nostre cunctis temporibus valiture, de certa nostri sciencia deliberate et consulte concedimus licenciam et facultatem plenariam memoratis juratis et toti universitati Civitatis Gerunde presentibus et futuris, quodamodo si et quandocumque eis benevisum et placitum fuerit dictum generale studium in morali et naturali sciencia et doctrina. utriusque juris et cujuslibet facultatis in ipsa Civitate Gerunde videlicet in quoqumque loco ejusdem statuere fundare et ordinare valeant atque possint: quod que studium generale ejusque cancellarius, rector, consiliarius, magistri

(1) La aprobación pontificia es del año 1605 por lo que se omite aquí. Se imprime con su ortografía, sin diptongos, segun se nos ha proporcionado.

doctores, bacallaurei et ceteri scolares ac studentes in eodem inmediate cum illud statutum seu fundatum fuerit, possit et possiut ac valeant in universali gaudere uti, frui et letari omnibus îllis honoribus, prerogativis favoribus, libertatibus, inmunitatibus, exempcionibus, franquiciis et privilegiis, quibus alia generalia studia per nostros predecessores reges Aragonum illustris memorie celebres aut per nos alias in regnis nostris Aragonum, Valencie et principatu Cathalonie, fundari premissa et in eis habitantes seu studentes letari, uti, frui ac gaudere solita et soliti sunt et debent de jure, usu seu consuetudine vel alias quoquomodo. Nos enim easdem libertates, exempciones, franquicias, favores, honores, privilegia, prerogativas ac inmunitates contextu presencium eidem generali studio civitatis Gerunde, et legentibus doctoribus ac studentibus in eodem quam cicius et quam proximum statutum fundatumque fuerit, de dicta certa sciencia conferimus, concedimus et plenarie impartimus, sicut et quemadmodum comuniter ceteris studiis generalibus in regnis et terris nostris ultra marinis, et presencium in principatu Cathalonîe constitutis, hactenus fuit indulta et eis ipsa generalia studia usque quaque melius usa sunt ac in eorum possessione consistunt.

Serenissime itaque Regine consorti carissîme et locum tenenti generali nostre in Principatu Cathalonîe nostrum hoc propositum intimantes, mandamus universis et singulis vicem gerentibus Gubernatoris ac Bajulis generalibus et localibus Vicariis, subvicariis, justiciis, consiliariis, paciariis, procuratoribus, juratis, ceterisque universis et singulis officialibus et personis quavis auctoritate eclessiastica vel seculari fungentibus, tam presentibus quam futuris, per omnia regna et terras nostras ubilibet constitutis et constituendis, sub nostre indignacionis jactura, et alias quanto forcius dici potest ut hanc nostram licenciam et facultatem firmiter teneant et observent ac faciant ab omnibus perpetuis temporibus efficaciter custodiri non contrafacientes aliqua racione vel causa. In quorum testimonium presentes fieri jussimus nostro sigillo comuni pendenti munitas.

Datis Neapoli die nono mensis Maii, anno á nativitate Domini Millessimo Quadringentessimo quadragesimo sexto, regnique nostri Sicilie citra farum anno duodecimo, aliorum vero regnorum nostrorum anno tricessimo primo.—Rex Alfonsus.

## NÚMERO 30.

### *Acuerdo de los Conselleres de Barcelona para crear Universidad, en* 1450.

Consell tengut, per los honorables Concellers, ensemps ab divuit persones de tots estaments, é encara ab altres qui hi foren affegits, sobre que en aquesta Ciutat hagués studi general, é encara dues vegades lany fira.

Dimarts á 21 d' Avril del any 1450. En una casa de consell, qui es dins lo verger de la loja de la mar hont eren los honorables Concellers per vendre les imposicions ajustats á consell, per les coses de vall serites, los dits honorables Concellers ensemps ab los honorables Mossen Guillem de Soler, Mossen Guillem de Torrent, Mossen Johan de Marimòn, Mossen Bernat Gapila, Mossen Ramon Gavall, Mossen Bernat Fivaller, Mossen Pere Arnau Pol Consul, Mossen Pere des Torrent, Mossen Jacme Gapila, Mossen Pere Johan de Santcliment, Mossen Pere de Siges, Pere Grau, Bartomeu de Lorera, Ramon Amat, Bernat Pi Notari, Jacme Rossell Notari, Bartomeu Maçot especier, Francesch Oliver frener, Francesch Sonet Paher, é Pere Ribes teixidor de li. Aqui fou exposat per lo honorable Mossen Jacme Ros, un dels dits honorables Concellers, en nom de tots, com experiencia ha mostrat é mostre que en moltes parts hont ha Ciutats grants é famoses hi hage studis generals, é aixi mateix que hi hage fira es gran benavenir d' aquelles car per los dits studis generals é fira d' aquelles Ciutats hont n' hi ha sen segueixen é prevenen grans profits en son mes populars é per alguns es estat mogut que seria molt expedient é de grant profit que en aquesta Ciutat hagues studi general, é fos vers les parts de Natzareth, qui es loch assats apartat, é aixi mateix que hi hi fossen celebrades dues fires lany, ço es una vegada en temps de les lanes é altre vegada en temps dels safrans. E ells Concellers qui han carrech aquest any de procurar e entendre en la augmentació y profit d' aquesta Ciutat, majorment que d' un temps ença es diminuida de població, é per la absencia de Senyor Rey é per la mercaderia qui no ha lo exercici que deuria los mercaders, artistes é manestrals é altres de la dita Ciutat en lur exercici aprofiten fos poch, han pençat ques dó obra que en aquesta dita Ciutat hage studi general é fira dues vegades l'any. E que per raho del studi general se haguessent de nostre Sant Pare é del Senyor Rey totes aquelles provisions que hi

fossen necesaries é aixi mateix per la fira se hagués privilegi del dit Senyor, ó de la Senyora Reyna sa loch tinent general. E proposades les dites coses per lo dit Concell fou ben lohat lo bon pensament que han haut los dits honorables Concellers en les dites coses és quen deuen esser ben comendats, é ques entengue ab gran diligencia en totes coses que sien necesaries a la expedició del dit studi general é de la dita fira com sens tot dupte sen seguirá gran augmentació ó profit á aquesta Ciutat, é en aquesta forma hach fi é conclusió lo present Consell (1).

## NÚMERO 31.

### *Privilegio de D. Alonso V. para fundar la Universidad de Barcelona, en* 1450.

Nos Alfonsus, Dei gratia Rex Aragonum Sicilie citra et ultra farum, Valencie, Hierusalem, Hungarie, Maioricarum, Sardinie et Corsice Comes Barchinone Dux Athenarum et Neopatrie, ac etiam Comes Rossilionis et Ceritanie.

Et si nostra Civitas Barchinone cum propter multa, tum ut eius reipublice gubernationem inter alias ditionis nostre Civitates caput extulit, et iam pene omnes alie quas diximus Civitates administrare illius sese gubernare et rempublicam exercere studeant, unam tamen solam rem ad ceteras huius orbis civitates equiparandas et si fas est dicere exuperandas deesse civitates eidem arbitramur, quoniam non ita ut expediret in cuiuslibet scientie facultate ibidem opera datur, quod si fieret cives et incole dicte civitatis et etiam circumvicini ex sapientibus scientífici fierent, et hi qui haud pingui supellectile habundant facilius litteris operam darent. Plane dilecti et fideles nostri Johannes de Marimon et Bernardus Gapila nuncii ad nos per dilectos et fideles nostros Consiliarios et probos homines dicte civitatis Barchinone nuper demissi nobis pro parte dictorum Consiliariorum et proborum hominum eiusdem civitates humiliter suplicarunt, ut cum Consiliarii et probi homines ipsi multiplicibus justis quidem et honestis inducti motiuis, et presertim optima situs sepe dicte civitatis dispositione pensata, ut qui illius oriundi divinis et humanis scientiis et doctrinis floreant, in ipsa Civitate generale studium instituere et fundare gestiant, et pro illius fundatione votiva ad ea om-

---

(1) Cuyo documento literalmente transcrito obra al fól. 101 del *Registre ters de les deliberations del Consell de Cent Jurats de la ciutat de Barcelona.*

nia que requiruntur prompti et parati sint, dignarentur eis super his nostram licentiam facultatem et auctoritatem impartiri. Atque nos qui dictam civitatem Barchinone suis exigentibus servitiis et meritis inter ceteras civitates nostras multum diligimus et amamus, ac illius commodam amplificationem et augmentum affectamus, hanc suplicationem tamquam iustam et rationi consonam, nec non benefitio et utilitati reipublice civitatis eiusdem acomodare benigne exaudientes, tenore presentis carte nostre cunctis temporibus firmiter valiture, de certa nostra scientia deliberite et consulto memoratis Consiliariis et probis hominibus civitatis Barchinone licentiam et facultatem plenariam impartimur, quod deinde in antea, sicut quandocumque fuerit bene visum dictum generale studium in sacra theològia, iure canonico et civili, morali et naturali philosophia, septem liberalibus artibus, medicina aliis que scientiis et doctrinis ac etiam facultatibus in ipsa Civitate Barchinone, scilicet in ea parte quam maluerint statuere fundare et ordinare valeant atque possint. Quod quidem generale studium eiusque Cancellarius, Rector, Consiliarii, Magistri, Doctores, Bacalarii, scolares et ceteri studentes in eodem inmediate cum stâtutum seu fundatum fuerit possit et possînt ac valeant in universali et singulari gaudere, uti frui et letari omnibus illis honoribus prerogativis, favoribus libertatibus inmunitatibus exemptionibus franquitiis et privilegiis, quibus alia generalia studia per nostros predecessores Aragonum Reges Serenissimos memorie celebris aut per nos alias in regnis nostris Aragonum Valentie et principatu Cathalonie fundari permissa et in eis habitantes seu studentes, et signanter generalia studia civitatis Ilerde et ville Perpiniani, letari uti frui ac gaudere solita et soliti sunt et debent de iure usu seu consuetudine vel aliter quoquomodo. Nos enim easdem libertates, exemptiones franquitias, favores, honores privilegia, prerogativas ac inmunitates, que aliis studiis predictis présertim civitati Ilerde et ville Perpiniani concesse et concessa sunt contextu presentium eidem generali studio civitatis Barchinone et legentibus, doctoribus ac studentibus in eodem ac aliis omnibus predictis quam cicius et que primum statutum fundatumque fuerit de dicta certa scientia conferimus concedimus et plenarie impartimur sicutet quemadmodum communiter ceteris studiis generalibus in regnis et terris nostris occidentis et presertim dictis generalibus studiis civitatis Ilede et ville Perpiniani hactenus sunt indulta, et eis ipsa generalia studia hactenus usa sunt ac in eorum possessione existunt. Serenissimis propterea locum tenentibus generalibus nostris presentibus et futuris voluntatem nostram hanc declaramus, qua volumus disponimus et

ordinamus, Reverendosque ac venerabiles in Christo patres Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, ac ceteros Eclesiasticos dictorumque Archiepiscoporum et Episcoporum in spiritualibus et temporalibus vicarios generales requirimus et ortamus, mandamusque gubernatori nostro generali ac eius Vicesgerentibus Bayulis quoque generalibus et localibus, Vicariis, Subvicariis, Conciliariis, Paciariis, Procuratoribus, Juratis, Consulibus, ceterisque universis et singulis officialibus et personis quavis autoritate eclesiastica aut seculari fungentibus, tam presentibus quam futuris, per universa regna et terras nostras úbilibet constitutis et constituendis, sub nostre indignationis et ire incursu et aliter quanto fortius et strictius diu potest, quatenus nostram huiusmodi licentiam facultatem et concessionem et omnia et singula supraintenta firmiter teneant et observent et faciant ab omnibus perpetuis temporibus efficaciter custodiri, nec secus agant ratione aliqua sive causa.

In quorum testimonium pressentes fieri iussimus nostro maiori sigillo maiestis pendenti munitum. Datum in Castello turris Octavii die tertio mensis septembris, anno á nativitate Domini millessimo quadringentessimo quincuagessimo, huius regni nostri Sicilie citrafarum anno sexto decimo, aliorum vero Regnorum nostrorum tricessimo quinto.=Signum.=Alfonsi Dei gratia Regis Aragonum, Sicilie citra et ultra farum, Valencie, Hierusalem, Hungarie, Maioricarum Sardinie et Corsice Comitis Barchinone, Ducis Athenarum et Neopatrie, ac etiam Comitis Rossilionis et Ceritanie.=Rex Alfonso.

Testes sunt Illustris Ferdinandus Dei gratie Dux Calabrie, Serenissimi Domini Regis filius, Illustres et Magnifici Benedictus de Guimarra Marchio Vastiaymonis regens magnificus Senescalus Regni ceterioris Sicilie, Petrus de Cardona Comes Golisani Camerlengus magister iusticiarius Regni ulterioris Sicilie, Antonius de Luna ac de Peralta Comes Calatabellote, Camerlengus, et Berengarius Derill Almirantus Regni Aragonum, Consiliarii Domini Regis predicti.

Signum mei Arnaldi Fonolleda prothonotarii Serenissimi Domini Regis predicti, qui de ipsius mandato premissa scribi feci et clausi.

## NÚMERO 32.

*Bula de Nicolao V concediendo á la Universidad de Barcelona las gracias y privilegios de la de Tolosa: año de* 1450.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Constitutus in specula supreme dignitatis ad universas fidelium regiones, tamquam universalis gregis dominici pastor atiem extendentes, fidelibus ipsis ad adquirendum litterarum studia per quem divini nominis fideique catholice cultus protenditur, iusticia colitur, tam publica quam privata res agitur, omnisque prosperitas humane conditionis augetur libenter favorem apostolicum impendimus, et oportune commoditatis auxilia impartimur. Cum itaque sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Alfonsi Regis Aragonum Illustris, ac dilectorum filiorum Consiliariorum civitatis Barchinone nuper fuit expositum coram nobis, ipsi non solum ad utilitatem et prosperitatem reipublice ac incolarum civitatum et terrarum ipsi regi subditarum, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendentes in prefata Civitate, tamquam loco insigni et ad hoc accomodo et idoneo, in que aeris viget temperies, victualium ubertas, ceterarumque ad usum hominum pertinentium copia reperitur, desiderent per Sedem apostolicam fieri et ordinari studium generale in Theologia, Jure canonico et civili, Artibus et Medicina, ac in qualibet alia licita facultate, ut ibidem fides catholica dilatetur, exaudiantur simplices, equitas servetur, inditii vigeat ratio, illuminentur mentes, et intellectus hominum illustrentur, Nos premissa et eximiam fidei et devotionis sinceritatem quam ipsi Rex et Consiliarii ad Nos et romanam Eclessiam gerere comprobantur attente considerantes, ferventi desiderio inducimur, quod civitas predicta scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, et diversarum facultatum dignitatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus de cuius plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. Hiis igitur omnibus diligenti examinatione pensatis, et etiam quia prefati Rex et Consiliarii, studium ipsum, ac scolares, doctores et audientes ibidem privilegii et prerogativarum honoribus fulcire intendunt, non solum ad ipsius Civitatis sed etiam habitatorum et incolarum circum jacentium commodum atque profectum, paternis affectibus excitati in præfati Regis et Consiliariorum in hac parte devotis suplicationibus

inclinati ad laudem omnipotentis Dei et fidei propagationem, in eadem civitate studium generale ad instar studii Tholosani, cum omnibus et singulis privilegiis, lîbertatibus. inmunitatibus, exemptionibus, indultis preeminentiis, gratiis, indulgentiis, honoribus dignitatibus et offitiis prefato studio Tholosano et doctoribus scolaribus et audientibus inibi, per Sedem apostolicam vel alias quomodolibet concessis et concedendis, auctoritate apostólica erigimus ac statuimus et ordinamus, ut ibidem de cetero studium generale perpetuis futuris temporibus vigeat in quo in Theologia iure canonico et civili artibus et Medicina ac qualibet alia licita facultate legatur. Quodque legentes, studentes, audientes, docentes et gradum assumentes, ac causa studii ibidem comorantes premissis omnibus et singulis privilegiis exemptionibus, inmunitatibus libertatibus, indultis, preeminentiis, honoribus, dignitatibus indulgentiis, gratiis et offitiis per Sedem apostolicam vel alias quomodolibet concessis, et in antea forsan concedendis, quibus magistri bacallarii studentes ac gradum assumentes in prefato studio Tholosano utuntur et gaudent, seu uti et gaudere possunt vel inposterum forsan poterunt uti et gaudere possint et valeant in omnibus et per omnia perinde ac si privilegia, exemptiones, inmunitates, libertates,i ndulta, preeminentiæ, gratiæ, honores, dignitates et offitia predicta quorum omnium et singulorum tenores de verbo ad verbum presentes haberi volumus pro expressis specialiter specifice et expresse per Sedem eandem vel alias studio Barchinonensi, ac ibidem audientibus studentibus, docentibus et commemorantibus concessa fuissent. Volumus autem quod transumptis privilegiorum huiusmodi, per duos authenticos Notarios sive scriptis et sigillo venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Tholosani pro tempore existentis, munitis, in iudicio vel extra ubicumque fuerint exhibita vel ostensa illa prorsus fides adhibeatur ac huiusmodi transumptis in omnibus et per omnia stetur ac si originalia privilegia huiusmodi forent exhibita vel ostensa Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam..... Siquis autem hoc attemperare pressumpserit.....

Datum Assissi, anno incarnationis dominice millessimo quadringentessimo quincuagessimo, pridie Kalendis Octobris. Pontificatus nostri anno quarto (1).

---

(1) Cuyos documentos al pié de la letra transcritos, se hallan insertos á los fólios 178, 179, 180 y 181 del Tomo 3.° del llamado *Libre vermell* que se custodia en el Archivo de las Casas Consistoriales de la ciudad de Barcelona.

## NUMERO 33.

### *Bula de Paulo II para la restauración de la Universidad de Huesca, anno* 1464.

Paulus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Abbati Monasterii Sancti Joannis de Pina, Oscen. Diocesis, et Priori Prioratus beatæ Mariæ de Pilari Casaraugustæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter curas multiplices quæ nobis ex Apostolatus officio censentur incumbere, votis illis præcipuis amplectimur, ut tenemur, per quæ litterarum studia, sinistra temporum varietate neglecta, instaurentur innoventurque, et in statum pristinum reducantur, ut cuncti fideles, scientiæ margaritam, adipisci cupientes, studiis hujusmodi commodius insistere et sapientiæ donis insigniri, ubique fructus afferant salutares. Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Joannis Aragonum Regis Illustris, ac dillectorum filiorum Juratorum, sive procerum et civium Civitatis Oscen. nobis nuper exhibita petitio continebat: quod licet olim claræ memoriæ Petrus Aragonum, et Valentiæ Rex, ex certis rationabilibus caussis tunc expressis, in eadem civitate Regni sui Aragonum, studium generale erexerit, instituerit, ac etiam ordinaverit, et quod de cetero in ipsa civitate hujusmodi studium generale vigeret, ac in eo publice in Theologia, Jure canonico et Civili, Medicina quoque Philosophia et Artibus liberalibus atque aliis quibuscunque facultatibus et scientiis licitis legeretur, doceretur et audiretur prout etiam hodierno tempore legitur et auditur, statuerit, necnon omnibus et singulis Magistris, Doctoribus et Scholaribus in eodem studio et illius Universitate commorantibus, ut privilegiis, prærogativis et libertatibus Tolosani, Montis Pesulani et Illerden. Studiis generalibus et Universitatibus, eorumque personis concessis uterentur et gauderent regia authoritate concesserit; et insuper sub certis pænis, similiter tunc expressis, ne in aliquo loco dicti Regni Aragonum, aliquis in facultatibus ante dictis, legeret, doceret, vel audiret, Ecclesiis tamen et Monasteriis, atque aliis quibus id ex juris dispositione, aut speciali privilegio hoc competeret, dumtaxat exceptis, expresse inhibuerit prout in litteris patentibus ejusdem Petri Regis desuper confectis, dicitur plenius contineri, et deinde ipsius studii erectio et ordinatio á Sede Apostolica, ut asseritur, approbata et confirmata, ac etiam executioni debitæ demandata extiterint, et Stu-

dium prædictum, per nonnulla tempora in ipsa civitate viguerit. Quia tamen labentibus annis, propter guerrarum turbidines, mortalitates atque discrimina, et varietates temporum, aliosque sinistros eventus, tum etiam, quia Civitas prædicta, aliquantulum depopulata fuit, studium prædictum aliquando intermissum extitit, ac nonnulla ipsius studii Privilegia precipue ab eadem Sede concessa, deperdita et amissa fuere. Præfatus Joannes Rex eisdem rationabilibus caussis, quæ Petrum Regem præfatum ad erectionem ipsius studii induxerant atque aliis quam pluribus respectibus, utilitatem publicam precipue concernentibus motus, ac studium generale prædictum, in eadem civitate summopere instaurari et innovari. Consideraus ipsius Petri Regis prædecessoris sui privilegium, eisdem civitati studio que et Universitati concessum, regia auctoritate prædicta innovavit, approbabit ac etiam confirmavit. Quarum quidem innovationis, approbationis, et confirmationis vigore, Studium ipsum inibi facultatibus, et scientiis memoratis instauratum, innovatum et crectum est, et in ipsis facultatibus, juxta morem aliorum Studiorum generalium continue legitur, ordinatur et auditur. Quare pro parte Joannis Regis, Juratorum et civium prodictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut præmissis debita consideratione attentis, quodque in eodem Regno Aragonum, nullum aliud Studium viget generale, Studium prædictum in ipsa civitate, prout alias institutum et ordinatum fuerat, instaurare et innovare, ac illud et personas in eo pro tempore studentes, privilegiis et exemptionibus aliorum Studiorum prædictorum communire, et decorate, ac alias in præmissis opportune providere, de beniguitate Apostolica dignaremur. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus. quatenus vos vel alter vestrum, de præmissis omnibus, ac eorum circunstantiis universis, auctoritate nostra, vos diligenter informetis, et si per informationem hujusmodi, premissa vera esse reperitis, super quo vestras conscientias oneramus, generale studium hujusmodi, in civitate prædicta in eisdem facultatibus et scientiis licitis auctoritate nostra instanrare et innovare, et prout alias erectum, institutum et ordinatum extitit, ordinare curetis. Nos enim si instaurationem, innovationem et ordinationem prædictas, per vos vigore præsentium fieri, contigerit, ut præfertur, universis et singulis Doctoribus, Magistris et Scholaribus Universitatis Studii Oscen, hujusmodi pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis Privilegiis exemptionibus, libertatibus, prærrogativis, indultis et gratiis Tolosan. Ilerden. et Bononien, Studiorum, universitatibus per

Sedem prædictam concessis, in quibus Doctores, Magistri et Scholares, in illis commorantes ipsa quoque Studia y Universitates utuntur et gaudent, ad eorum instar, absque ulla dif.ferentia uti valeant et gaudere, eadem auctoritate Apostolica concedimus per præsentes, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millessimo quadringentessimo, sexagessimo quarto, quartodecimo Kalendas Novembris. Pontificatus nostri anno primo. P. de Spinosis, et Io. de Aquilone, Io. de Tartarinis.

## NÚMERO 34.

### *Bula de Sixto IV á favor de la Universidad de Zaragoza, anno* 1474.

Sixtus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam

In eminentis dignitatis Apostolicæ, speciali supremi dispositione concilii, licet immerito constituti, ad cunctas fidelium regiones, nostræ vigilantiæ conditas, eorum qué profectus et commoda, tamquam pastores universales gregis dominicæ nostræ considerationis actione, quantum nobis ex alto conceditur, extendentes fidelibus ipsis ad quærendum litterarum studia, per quæ Divini nominis, fideique Catholicæ cultus protenditur, falsumque á vero discernitur, et alti sacræ Theologiæ conceptus enucleantur, libenter favores gratiosos impendimus, et Apostolicæ sedis favorem liberaliter impartimur, Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Regis Siciliæ, ultra Farum, et Principis Aragonum, nec non dilectorum filiorum, capituli Ecclesiæ Cæsarangustanæ, et Iuratorum Civitatis Cæsarangustæ, nobis nuper exhibita petitio continebat: quantum libet in dicta Civitate, quam bonorum fecunditate, et aliarum multiplicium gratiarum dotibus decoravit Altissimus, ab antiquis temporibus vigeat Studium in Artibus, inibique legentes in dictis omnibus, jugiter existant periti, et sufficientes, et plures evadant docti et eruditi in hujusmodi artium facultate, tametsi studium ipsum in quo semper fuit unus deputatus, qui major magister dicebatur, et erat ejusdem studii Rector, auctoritate Apostolica erigeretur, quo ad facultatem artium dumtaxat, majorem profectum exinde provenire posse speraretur, Scholares que libentius, ut verisimili quæri potest, ad studendum inibi in hujusmodi facultate invitarentur, et Magistri ad legendum efficerentur diligen-

tiores, idqué cederet, ad decorem et ornamentum dictæ civitatis, ad quam Rex præfatus singularem gerit dilectionis affectum, ipsorumque, nec non Capituli, e Iuratorum prædictorum complacentiam singularem. Quare pro parte Regis, ac Capituli, et Iuratorum prædictorum, nec non modo dicti Magistri majoris, Rectoris dicti studii Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Studium hujusmodi in artibus dumtaxat, in studium generale cum officio Cancellariatus, perpetui erigere, et quod Magistri et studentes inibi in dicta facultate artium, gaudeant omnibus et singulis Privilegiis, gratiis ac libertatibus et immunitatibus, quibus gaudent Magistri, et studentes in Parisiensi et Illerdensi universitatibus, et ad instar illorum, absque ulla differentia, quodque dilectus filius. Petrus de la Cabra Iunior, Laicus, civis Cæsaraugustanæ, Artium et Medicinæ Magister, qui de præsenti Magister major est, et Rector perpetuus dicti studii existit, deinceps perpetuus Magister major, Rector et Cancellarius ejusdem sit, et qui fuerit pro tempore dicti studii Magister major et Rector, sit etiam perpetuus Cancellarius, nec non privilegiis prædictis in graduandis uti possit, et valeat, quando et quoties sibi videbitur decernere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod viris eruditis, quasi gemmis fulgentibus, tam Romana quam universalis decoratur Ecclesia, et studiorum litterarum cupidi eo magis ad capescendam disciplinam invitantur, quo facilius illam assequi posse sperant, hujusmodi supplicationibus inclinati, et ad laudem Divini nominis et fidei Cathelicæ propagationem, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltationem, auctoritate Apostolica tenore presentium, Studium prædictum, in Studium generale, in facultate Artium dumtaxat, in dicta civitate Cæsaraugustana, cum officio Cancellariatus perpetui erigimus, ac statuimus et ordinamus: dictisque Capitulo et universitati civitatis Cæsarangustanæ de specialis dono gratiæ concedimus, ut in eadem civitate; de cetero perpetuis futuris temporibus, sit Studium generale, in Artibus, quodque audientes, studentes et docentes, ibidem in dicta facultate Artium, omnibus privilegiis, gratiis, libertatibus ac immunitatibus, quibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentes pro expreesis habentes, gaudeant Magistri, et Studentes, in Parisiensi et Illerdensi universitatibus, ad instar illorum, absque ulla diferentia gaudere possint, et debeant, quodque dictus Petrus de la Cabra, deinceps perpetuus Magister major, Rector, et Cancellarius ejusdem sit, et qui fuerit pro tempore dicti Studii Magister major et Rector, sit et perpetuus Cancellarius, nec non privilegiis prædictis in graduandis, et aliis uti possit et valeat, quando et quomodo sibi vide-

bitur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ erectionis, statuti, ordinationis, concessionis, præsumat, vel ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXIIII, XIII. die Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

## NUMERO 35.

### *Bula de Sixto IV, para la creación de las prebendas doctoral y magistral en las iglesias de Castilla y León, dada á instancia de los prelados y cabildos de dichas iglesias en* 1474.

Sixtus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Creditam nobis regendæ militantis ecclesiæ providentiam exequi coadjuvante Domino cupientes, ad ea libenter intendimus, ut debemus, per quæ singulæ orbis ecclesiæ præsertim cathedrales, personarum utilium fulcitæ præsidiis, ad Altissimi laudem et gloriam condignis honoribus et venustatis proficiant incrementis, earumque bona et jura á quaqumque occupatione conservari possint illæsa. Tandem pro parte venerabilium fratrum nostrorum universorum archiepiscoporum, ac dilectorum filiorum capitulorum metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum Castellæ et Legionis regnorum nuper exhibita petitio continebat, quod ipsarum canonicatus et præbendæ, tam apostolica, vigore gratiarum spectativarum specialium et aliarum reservationum, et alias, quam ordinaria, authoritatibus, propter inordinatos favores persepe conferentur juris parum literatis, adeò ut nonnumquam eveniat quod nullus ecclesiarum earum canonicus graduatus existat, cujus consilio et auxilio jura tueri, et bona occupata recuperari, et alia negotia utiliter et salubriter dirigi valeant, in non modicum ecclesiarum earumdem detrimentum, et honoris et reputationis diminutionem; et quod, si ex canonicis, aut integris vel dimidiis portionariis cujus libet earumdem ecclesiarum continuo unus esset Magister seu Licentiatus in theologia, et unus Doctor seu Licentiatus in utroque vel altero jurium, profecto earumdem ecclesiarum decori et venustati, ac prospero et felici regimini utiliter et salubriter provideretur. Quare, pro parte archiepisco-

porum et capitulorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod de cætero in qualibet earumdem ecclesiarum continuo sint duo canonici in eisdem, unus in theologia, et alter juribus Doctores seu Licentiati, statuere et ordinare, aliasve ecclesiis super hoc opportunè providere benignate apostolica dignaremur: Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati authoritate apostolica, præsentium tenore, statuimus et ordinamus, quod duobus canonicatibus et totidem præbendis, qui primo per cesum aut ad quamlibet etiam dimissionem illos obtinentium extra Rom. Curiam in quibusvis mensibus simul vel succesive vacabunt in qualibet ecclesiarum earumdem, etiam dispositioni apostolicæ ex quavis causa, non tamen in prima vice, gereraliter reservati forent temporibus, quoties illos vacare pro tempore contigerit, uni, qui in theologia magister seu licentiatus, et alteri qui altero jurium doctor seu licentiatus existat, possit et debeat una cum capitulo cujuslibet earumdem ecclesiarum ordinaria authoritate providere in omnibus, et per omnia perinde, ac si aliquæ gratiæ spectativæ speciales, vel generales reservationes, et nominandi, seu nominantis conferendis facultates, et mandata á nobis seu Sede apostolica, vel ejus legatis, seu alias ejusdem authoritate, et Regum, Ducum, principum, vel prelatorum aut quavis alia consideratione, nullatenus emanarent, seu in posterum emanassent, ita tamen ut de eis qui primo doctori, vel cum rigore examinis licentiato in altero jurium et aliis, qui postmodum vacabunt simul vel succesive et canonicatibus et præbendis hujusmodi Magistro et Licentiato in theologia provideatur; et inter doctores et licentiatos eodem ad illos pro tempore nominatos illi qui de nobili genere procreati forent, aliis non nobilibus, et inter ipsos nobiles qui ex utroque parente nobiles forent, nobilibus ex altero, et inter ex utroque vel uno latere nobiles de majori nobilium genere procreatis per eosdem ordinarios collatores et capitula præeligantur; qui, si in eadem ecclesia et alias sic qualificati reperiantur, aliis præferantur, sicque perpetuis futuris temporibus observetur, decernentes ex tunc omnes et singulas gratiæ acceptationes, provisiones, uniones, annexiones, et incorporationes, et alias dispositiones, proccessus, sententias, et census desuper nec non totum id et quidquid secus super his à quoquam quavis earumdem authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti: necnon canonicatus et præbendas, quos, ut præfertur, vacare contigerit in qualibet ecclesiarum earumdem Doctorum et Licenciatorum Theologia et altero jurium, canonicatus et præbendas nuncupati debere, et aliis quam Doctoribus et Licenciatis prædictis conferri non

posse, et illos ordinaria dumtaxat authoritate conferri, et sub prædictis et quibusvis aliis gratiis, expectativis, specialibus reservationibus, unionibus, incorporationibus et extinctionibus non comprehendi, necnon irritum et inane, si secus super his á quocumque, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, MCDLXIII, Kalendis Decembris, Pontificatus nostri anno IV.

## NÚMERO 36.

### *Bula de Sixto IV concedida á la Universidad de Zaragoza en 1476, nombrando Cancelario al Arzobispo.*

Sixtus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad ea ex Apostolicæ servitutis officio libenter annunimus, per quæ dissensionum fomenta sopiri, et pax inter Christi fideles, fructuosos jugiter parere valeat effectus, illisque quantum cum Deo possumus, favorem benevolum impartimur. Dudum siquidem pro parte charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi, Regis Siciliæ, ultra Farum, Illustris et Principis Aragoniæ, nec non dilectorum filiorum Capituli, Ecclesiæ, et Iuratorum Civitatis Cæsarangustæ, expositio continebat, quod, licet in dicta civitate, quam bonorum fæcunditate, et aliarum multiplicium gratiarum dotibus decoravit Altissimus, ab antiquis temporibus viguisset Studium, in Artibus, inibique, legentes in dictis Artibus viri existerent periti et sufficientes, et plures evasissent docti, et eruditi, in hujusmodi Artium facultate, tametsi Studium ipsum, in quo semper fuerat unus deputatus, qui major Magister dicebatur, et erat ejusdem Studii Rector, auctoritate Apostolica erigeretur, quoad facultatem Artium dumtaxat majorem profectuum ex inde proveniri posse sperabant; Scholaresque libentius, ut verisimiliter credi poterat, ad studendum inibi in hujusmodi facultate invitaretur, et Magistri ad legendum efficerentur diligentiores, idque cederet ad decorem et ornamentum dictæ civitatis, ad quam Rex præfatus singularem gerebat dilectionis affectum, ipsorumque nec non Capituli, et Iuratorom prædictorum complacentiam singularem. Nos tunc Regis, et Capituli, ac Iuratorum prædictorum, in ea parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore litterarum nostrarum, Studium prædictum in Artibus dumtaxat in Studium generale, in facul-

tate Artium dumtaxat, in dicta civitate Cæsaraugustæ cum officio Cancellariatus, perpetumm ereximus, ac statuimus, et ordinamus; dictoque capitulo et universitati Civitatis Cæsaraugustæ concessimus, ut in eadem civitate de cetero, perpetuis futuris temporibus esset Studium generale, in Artibus, quodque audientes, studentes et docentes ibidem in dicta facultate Artium, omnibus privilegiis, gratiis, et libertatibus, ac immunitatibus quibus gaudent Magistri, et studentes in Parissiensi et Illerdensi Universitatibus, et ad instar illarum, absque ulla diferentia, gaudere possiut et debeant: quodque dilectus filius Petrus de la Cabra junior, civis Cæsaraugustæ, deinceps perpetuus Magister major, et Rector, esset etiam perpetuus Cancellarius, nec non privilegiis prædictis in graduandis, et aliis uti possit, et valeret, quando et quoties sibi videretur, prout in nostris de super confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte Regis, Capituli, et Iuratorum prædictorum petitio continebat, decentius videatur, et honori dicti Studii magis conveniat, quod Archiepíscopus Cæsaraugustanus pro tempore existens, et non dictus Petrus Cancellarius existat: præsertim cum inter Petrum de la Cabra, et Capitulum præfatos, pro hujusmodi Cancellariatus officio non nullæ dissensiones exortæ sint, pro parte Regis, Capituli et Iuratorum prædictorum, Nobis fuit humilitir supplicatum, ut super hoc opportune providentes, quod Archiepiscopus pro tempore existens, deinceps perpetuis temporibus Cancellarius dicti Studii sit, et esse debeat, dummodo loco Sui ad dictum officium exercendum, alium quam dictum Petrum, et pro tempore existentem, Magistrum majorem et Rectorem dicti Studii substituere nequeat quodque aliæ litteræ prædictæ perinde valeant, ac si in illis, non quod ipse Magister Petrus, sed Archiepiscopus pro tempore hujusmodi Cancellarius esset, statutum et decretum fuisset, statuere et decrevere, ac alias in præmisis oportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui pacem ac quietem inter Christi fideles vigere, et dissensionum materias, per nostræ vigilantie studium sopiri, intensis desideri's affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium, statuimus pariter et decernimus, quod per litteras nostras prædictas, Archiepiscopo pro tempore et Capitulo Cæsaraugustano in nullo censeatur præjudicatum, quodque de cetero perpetuis temporibus, Archiepiscopus Cæsaraugustanus, pro tempore hujusmodi Cancellarius dicti Studii sit, et esse debeat, dummodo loco sui ad dictum officium exercendum, dictum Petrum substituat, prout etiam Nos ex nunc substituimus, ita quod deinceps vocetur Vicecancellarius dicti

Studii, quodque Archiepiscopus pro tempore et ab eo substituendus, et pro tempore Magister major et Rector, Vicecancellarius Studii nuncupatus, hujusmodi quascumque ordinationes, et estatuta, aut alter eorum cum Capitulo præfato, honorem et commodum dicti Studii concernentia, dummodo alias sint honesta, et sacris canonibus non contraria, facere libere possint et valeant; et aliæ litteræ nostræ predictis á data præsentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, in omnibus et per omnia, ac perinde, ac si in illis præmissa omnia justa ultimam petitionem Regis, Capituli et Iuratorum præfatorum statuta et ordinata fuissent, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quæ in aliis litteris prædictis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostri statuti, constitutionis, et substitutionis, infringere, vel etiam ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus se noverit incursorum. Datis Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.CCCC.LXXVI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

## NUMERO 37.

### *Privilegio de D. Juan II de Aragon á la Universidad de Zaragoza, año de* 1477.

Joannes Dei gratia Rex Aragonum, Navarre, Scicilie, Valentie, Majoricarum, Sardnie et Corsice, Comes Barchimone, Dux Athenarum et Neopatrie, ac etiam Comes Rossilionis et Ceritanie.

Magnificis dilectis, et fidelibus nostris, Regenti officium Guvernationis, Justitie, et Bajulo generali Regni Aragonum, Çalmetine, et Juratis civitatis Cesarauguste, ceterisque universis et singulis officialibus, et subditis nostris secularibus, et etiam ecclesiasticis, presentibus et futuris, ubique ditionis nostre constitutis et constituendis, ad quos spectet et fuerint presentes presentate, et cuilibet eorum, salutem et dilectionem.

Beatitudo Domini nostri Pape, cum binis Apostolicis litteris suis ad supplicationem serenissimi Regis Sicilie, amantissimi filii nostri, erexit studium presentis Civitatis, ad Studium generale, quo ad artium facultates, et concessit quod studentes, et docentes in eo, gaudeant omnibus, privilegiis, gratiis, libertatibus, et immunita-

tibus, quibus gaudeant Magistri et Studentes in Parisiensi et Illerdensi Universitatibus, et ad instar illorum absque ulla diferentia, et quod Archiepiscopus Cesaraugustanus, qui pro tempore fuerit, et sit Cancellarius ipsius Studii, Magister major et Rector, et ejus successores, sint illius substituti, et vocentur Vicecancellarii, et quod privilegiis predictis in graduandis, et aliis uti possint: prout hec et alia latius continentur in dictis Apostolicis bullis, que desuper scripte sunt. Et quoniam erectio dicti Studi in generale, cadit in decorem et ornamentum ejusdem Civitatis et beneficium Reipublice ejusdem; nam ita ad Studium ipsum multo pluros confluent, et incendentur ad lectionem, cum scient, posse gradum et premium, sive honorem, juxta doctrinam, in facultatibus ipsis consequi, atque his et aliis bonis respectivis, inducentibus animum nostre Majestatis, erectio predicta sic grata, et acepta Majestati nostre, et velimus litteras suum sortiri effectum, et executionem, Capitulo Ecclesie, et Juratis dicte Civitatis, ac Magistro, et Vicecancellario, et studentibus in dicto Studio, nostre Majestati supplicantibus, dicimus et mandamus vobis, de certa nostra scientia, et exprese requirendis requirendo, et Bullas preinsertas, et singula in eis contenta teneatis, observetis; exequamini, et compleatis, tenerique exequi, compleri et observari faciatis, et non contraveniatis, aut contravenire permitatis, ratione aliqua sive causa: cum sit hec intentio et voluntas nostra: pro quanto vos dicte Ecclesiastice persone nobis obedire, officiales vero et subditi nostri predicti, gratiam nostram charam habetis, et indignationem nostram, ac penam florennorum tremille cupitis non subire.

Datis Cesarauguste, die XXV mensis Januarii: Anno á Nativitate Domini millesimo, quatuorcentessimo Septuagessimo Septimo.

V. Vicecan. Dominnus Rex mandavit mihi Joanni de Coloma. Visa per Joannem Pages, Vicecanc.

## NUMERO 38.

### *Bula del Papa Alejandro VI para la erección de la Universidad de Valencia, año de* 1500.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Inter cæteras fælicitates, quas mortalis homo in hac labili vita ex dono Dei nancisci potest, non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat scientiæ margarita, quæ

bene, beateque vivendi viam præbet, ac peritum sua pretiositate longe excellentiorem facit imperito, et ad mundi arcana cognoscenda dilucide inducit, et suffragatur, ac ignobiles et infimo loco natos in sublimes erigit, optimam Reipub. gubernationem et virtutes omnes edocet, ac tam divinarum quam humanarum rerum cognitionem ostendit, et Orthodoxam Fidem tamquam firmissimum propugnaculum á perfidorum infidelium immanitate, perversorumque hæreticorum pertinatia tuetur, et illius terminos salutiferis mediis extendit. Unde Sedes Apostolica rerum spiritualium, ac temporalium provida administratrix, et cujusvis laudabilis exercitii perpetua et constans adjutrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humanæ conditionis fastigium acquirendum, et acquisitum in alios cum augmento tanti boni acquisiti transferendum facilius inducantur; cum aliarum rerum distributio maxime minuatur, scientiæ vero communicatio quanto in plures diffunditur, tanto magis augeatur; illos hortatur, eis loca præparat, et opportune ad id commoditatis auxilia impartitur præsertim cum venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Ramanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui partem Apostolicæ solicitudinis summissis humeris substinere noscuntur, vota, ac locorum, et personarum qualitas, et utilitas id exposcant, nosque id in Domino conspicimus salubriter expedire. Sané pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civitatis Valent. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod si in civitate prædicta, quæ Regni caput et Metropolis, ac inter alias illarum partium Civitates nobilis admodum, et insignis existit, et in qua diversarum partium personæ tan Ecclesiasticæ, quam sæculares in copioso numero conversantur, Studium generale vigeret litterarum, in quo onmes licitæ facultates legerentur, quam plures civitatis, et regni prædictorum, ac aliarum partium personæ litterarum studio hujusmodi libenter intenderent, et eruditi efficerentur, nedum ejusdem civitatis ornamento et amplitudine ac Reipublicæ gubernationi, et utilitati; verum etiam animarum saluti quamplurimum consuleretur; summopere cupiunt in eadem civitate, quæ mari propinqua existit, et in qua victualium ubertas et habitatorum commoditas, aliarumque rerum ad usum humanæ vitæ pertinentium copia repperitur, hujusmodi Studium erigi generale. Quare pro parte tam dilecti filii nostri Ludovici Sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, qui Ecclesiæ Valentinæ ex concessione, et dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, quam communitatis prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in prædicta civitate studium hujusmodi erigere, et instituere et quod inhibi de cætero perpetuis futuris temporibus studium sit, et vigeat ge-

nerale, studiique generalis Universitas existat, tam in Theologia, ac Jure canonico et Civili, necnon Medicina, et Artibus liberalibus, et latinis et grecis litteris, quam quavis alia licita facultate, in quibus sicut in Romano, Bononiensi, et Salmanticensi, ac quibusvis aliis studiis generalibus ad hoc privilegiatis, Ecclesiastici quecumque, et qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentes, ac laici, Magistri, Doctores, et Licentiati, ac alias Graduati publice legant, et doceant, ac studere volentes, undecumque fuerint, studeant, et proficiant, benemeritique ad Magisterii, Doctoratus, Licentiæ, et alios Gradus promoveri, et eorum insignia recipere valeant; statuere et ordinare, aliaque in præmissis de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Catholicæ Fidei exaltationem, et animarum salutem, ac fidelium omnium commodum, et utilitatem omnibus, quibus possumus, mediis exquirimus, ac Civitatem, á qua originem trahimus, et communitatem hujusmodi præcipua quadam, et singulari dilectione prosequimur, et in visceribus gerimus charitatis, eorumque decus, et amplitudinem sinceris affectibus exoptamus; hujusmodi supplicationibus inclinati in prædicta Civitate unum Studium generale auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, et instituimus, et quod inibi de cætero perpetuis futuris temporibus vigeat Studium generale, studiique generalis Universitas existat tam in Theologia, ac Jure canonico et civili, necnon Medicina et Artibus liberalibus, ac Latinis, et Græcis litteris, quam quavis alia licita facultate; in quibus sicut in Romano, Bononiensi, et Salmanticensi, et quibusvis aliis studiis generalibus ad hoc privilegiatis Ecclesiastici quæcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentes, ac Laici, Magistri, et Doctores et Licenciati, ac alias Graduati legant, et doceant, ac studere volentes undecumque fuerint, studeant et proficiant, ac benemeriti ad Magisterii, Doctoratus, licentiæ, et alios gradus promoveri, eorumque insignia recipere, illaque eis impendi valeant, quodque prefatus Ludovicus Cardinalis, et Archiepiscopus Valentinus pro tempore existens Studii, et Universitatis hujusmodi Chancellarius existat, qui per se, vel aliquis alius per eum, aut dicta Ecclesia Pastore carente per dilectos filios Capitulum ejusdem Ecclesiæ deputatus Vicarius. seu locum tenens in qualibet dictarum facultatum commendabilis vitæ scholaribus de consilio et assensu duorum, aut trium in eadem facultate Doctorum, seu Magistrorum Bachallariatus; illis vero quos ad hoc Rector studii et Regentes Magistri, sive Doctores facultatis, in qua singuli Scholares prædicti postulabunt etiam pro tempore existentes, aut major pars eorumdem idoneos reputaverint rigoroso præcedente examine licentiæ,

